DE VERBI IN LINGUA LATINA COLLOCATIONE.

ADHIBITI SUNT IN QUAESTIONEM PRAETER CAESARIS DE BELLO GALLICO ET DE BELLO CIVILI COMMENTARIOS A. HIRTII DE BELLO GALLICO ET ANONYMI DE BELLO ALEXANDRINO COMMENTARIUS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM PHYSICORUMQUE ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE GUILELMIA GUESTFALIA MONASTERIENSI

SCRIPSIT

NICOLAUS ŠCHNEIDER

TREVIR.

MONASTERII GUESTFALORUM 1912.
EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGR. GUESTFALORUM.

De hac dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit

Guilelmus Kroll.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum dissertationem typis expressam esse testatur

Carolus Spannagel
ordinis philosophorum h. a. decanus.

D. M.

HELENAE · ANNAE
SORORIS · CARISSIMAE

„Das ganze Gebiet der Wortstellung ist ein schwieriger, wenig erhellter Teil unserer Wissenschaft."
Wunderlich, der deutsche Satzbau,
Stuttgart 1901 I² 398.

Eduardus Norden in libro, qui inscribitur „Die antike Kunstprosa", p. 66. scripsit homines antiquos de rationibus collocationis verborum iudicare non potuisse ea de causa, quod suas ipsorum linguas cum aliarum gentium linguis non comparavissent. Sed etiam recentioris aetatis viris doctissimis idem accidit. In primis de verbi collocatione iudicare non iam possumus illis rationibus neglectis, quas paulo ante nostram aetatem linguis compluribus comparandis vvdd. reppererunt. Illa enim — Chrysippi fortasse — sententia, quam Dionysius Halicarnassensis [1]) et Quintilianus [2]) refutaverunt, tamen usque ad hoc fere saeculum valuit; non quidem ita, ut haec una et immutabilis lex haberetur, sed logica ratio, qua continetur etiam postea totius artis grammaticae tamquam fundamentum erat, et ob eam rem illam verborum collocationem rectam et legitimam esse putabant et ad hominis ingenium et naturam maxime aptam; cf. Lat. Syntax nach den Vorlsgn. von Ch. K. Reisig, neu bearb. v. Schmalz-Landgraf. Berl. 1888. p. 841. Simul alia ratio permansit, quam item apud Quintilianum iam invenimus, l. a. IX 4, 26: „Verbo sensum concludere multo si compositio patiatur optimum est. In verbis enim vis orationis." Sed cum in lingua Sanscritica eadem fere quae in lingua Latina verborum collocatio reperta esset, a Delbrückio, Synt. Frschgn. III. Die altind. Wortfolge, Halle 1878. p. 13, longe alia via ingredienda erat; nam in vetusta Indorum lingua verba minus intenta fuisse ex ipsa scriptura cognitum est. Illam autem viam paulo ante Henricus Weil

---

[1]) de comp. verbb. 33—37.

[2]) instit. orat. IX 4, 24: „Illa nimia quorundam fuit observatio, ut vocabula verbis, verba rursus adverbiis, nomina appositis et pronominibus essent priora."

recte ingressus erat, qui non logicam sed psychologicam rationem in verborum collocatione expressam esse docuerat, atque id praecipue in liberiore linguae Graecae et Latinae verborum collocatione inveniri: „Dans les langues anciennes on suit l'ordre de ses idées et on prend pour les encadrer dans une phrase la conformation syntaxique, la moins recherchée la plus animée"; cf. De l'ordre des mots dans les langues anciennes comparées aux langues modernes Paris 1869 [2]. p. 31. His Weilii et Delbrückii commentationibus tamquam fundamentum iactum est omnibus quaestionibus, quae de verborum collocatione fiunt.[3])

Delbrück optime partem a Weilio relictam perquisivit. Nam cum Weil liberiorem verborum collocationem maxime observavisset, Delbrück usitatas verborum collocationes magis respexit et duo collocationis genera, usitatum et inusitatum, distinxit. Quae quidem res nova non erat,[4]) sed tamen Delbrück tam dilucide hanc distinctionem adhibuit et firmavit, ut obscuras et ineptas aliorum distinctiones removeret. Ab hac re etiam nobis ordiendum est. Usitata collocatione verbum in lingua Latina finem enuntiati obtinet; id quod notissimum est; cf. de Caesare quae exposuit Bergaigne, Essai sur la construction grammaticale considérée dans son développement historique en Sanscrit, en Grec, en latin . . ., Mémoires de la société de linguistique III. p. 8. „chez César le même principe est appliqué avec une telle constance, qu'on est tenté de le transformer en règle: dans le deuxième livre du de bello Gallico . . . on ne trouve qu'une quinzaine de verbes personnels construits

---

[3]) Reliquae superioris saeculi commentationes in singulis rebus nobis adhibendae sunt. Haec una ratio hoc loco breviter commemoranda est, quam Naegelsbach protulit (Lat. Stilistik, Nürnberg 1852 [2], p. 461 sqq.). Hic vir doctus anaphora et chiasmo verborum collocationem in lingua Latina contineri putavit. In Caesaris verbb. collocatione explicanda eum secutus est Lorenz, Über Aanaphora und Chiasmus in Caesars bellum Gallicum. Progr. Creuzburg 1875. Licet in lingua Latina propter liberiorem collocationem hae figurae magis conspicuae interdum sint, tamen nihil nisi merae formae sunt, quae necessitate quadam in omni fere sermone inveniuntur; res ipsa et causae collocationis hac Naegelsbachii ratione non magis intellegi possunt, quam Wocheri, qui N. J. Suppl. 4, 1836, p. 456 sqq. et ascendentem et descendentem verborum collocationem distinxit, prout in fine aut in initio enuntiati graviora vocabula posita essent.

[4]) idem iam fecerat Hanow, Ztsch. f. d. Altertumswssschft. 1840. p. 1035 sq.

autrement qu'à l'extrême limite de la proposition." Idem diligentissima commentatione probasse videtur E. Kieckers, Die Stellung des Verbs im Griech. u. i. d. verwandt. Sprachen. Straßb. 1911. p. 154. Sed haec verbi collocatio neque per se satis explicari potest, neque omnino inde verborum collocationis rationes reperire possumus. Usus enim et consuetudo per analogiam multa exaequant, quae ipsa plane diversa sunt. Qua de causa ut in reliquis partibus artis grammaticae insolentia ad regulas interpretandas plurimum valent, ita etiam in hac quaestione ipsae causae melius perspiciuntur ex collocationibus inusitatis. Itaque inusitatam verbi collocationem hac commentatione pertractabimus.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, nonnulla disseramus oportet, quae ad totam commentationem spectant, et simul absolutionis causa philosophorum rationes nonnullas inseramus, quae in singulis rebus indagandis minoris quidem momenti sunt, sed tamen in principiis huius commentationis enumerandae sunt. Weil de ordine quodam cogitationum scripserat, qui liberiore verborum collocatione expressus esset. Huc nostra aetate altera notio accessit; universam illam totius enuntiati dico cogitationem („Gesamtvorstellung"), quae in animo singularum rerum comprehensionem et perceptionem („Apperception") antecedit. Ad nostram commentationem ea de causa pertinet, quod hinc intellegitur, quomodo tamquam ad arbitrium saepe vocabula arte inter se cohaerentia disici potuerint; nam, cum singula verba proferimus, totum enuntiatum animo obversatur propter illam universam cogitationem; cf. Wundt, Völkerpsychologie I^2, 2. Lpz. 1904. p. 241. Ex eadem cogitandi ratione facile prima lex inusitatae collocationis perspicitur, qua gravissima quaeque notio ad initium enuntiati accedit; cf. Delbrück, Vergl de. Syntax . . . Strßbg. 1900. III, p. 38 sq. eximiae enim notiones illius universae cogitationis celerius fere percipiuntur. cf. Wundt l. a. p. 359 et: Grundriß der Psychologie. Lpz. 1905^7, p. 371. Usus et consuetudo, quae in verborum collocatione inveniuntur, in consociatione psychologica („Association") magna ex parte posita sunt. His duabus rationibus, comprehensione vel apperceptione, — ut hanc nostrae aetatis notionem adhibeam, — et associatione P. Barth omnino verborum collocationem contineri arbitratus est, Zur Psychologie der gebundenen und der freien Wortstellung. Philos. Studien XIX, p. 37.

Sed enclisin et alias rationes plane oblitus est,[5]) quas omnes hic enumerare nostra omnino non interest. Illud potius advertamus, quid ex hac rationum diversitate in ipsam commentationem colligere possimus. In illa disciplinae grammaticae parte, quae est de singulis vocabulorum formis, similem quandam diversitatem observare licet rationis psychologicae et physiologicae. Ex hac discrepantia anomalia quaedam in singulis vocibus formandis orta est. Itaque etiam collocationum varietatem per rationum varietatem explicare debemus; quas inter se tamquam certantes fingere licet, ita ut nulla fere lex sine exceptionibus inveniatur. Quam ob rem collocationis explicatio numquam reicienda est ea de causa, quod alio loco non valet, cum modo haec modo illa ratio in verbis collocandis pervicerit; interdum etiam duas simul expressas reperiemus. In ipsa quaestione haec quidem res multas difficultates praebet, et ultra, quo progrediamur, quam ut veri videamus similia non fere habemus. Sed hoc semper invenis, cum non res tantum sed etiam causas ac rationes rerum perquirimus.

Reliquum est, ut paucis exponam, cur Caesaris potissimum commentarios ad hanc quaestionem adhibuerim. Delbrück, Synt. Frschgn. IV, Die Grundlagen der griech. Syntax, Halle 1879, p. 150. de verborum in lingua Graeca collocatione iam dubitabat, num omnino inusitatae collocationes in oratione soluta ita pertractari possent, ut ipse in Indorum vetustissima lingua fecerat, cum singuli Graecorum scriptores maiore quadam libertate et licentia usi essent. In lingua Latina consuetudo sine dubio magis valet, quam in lingua Graeca, sed tamen etiam ad hanc quaestionem simplicem sermonem et quam minime rhetorum artificiis imbutum adhibeamus oportet. Quem in Caesaris commentariis invenimus. Ipsum commentariorum genus admodum simplex erat; cf. A. Klotz, Caesarstudien. Lpz. 1910. p. 1 sqq. cf. Bergaigne p. 8: „César, qui est tant par son autorité en matière de language que par l'extrême simplicité de son style un des écrivains les plus intéressants à consulter sur les questions rélatives à l'ordre des mots." A. Hirtii de bello Gallico et anonymi de bello Alexandrino commentarium

---

[5]) Langen (Athenaeum I. p. 129) contra Goerenzium, qui certo sonorum ordine omnem verbb. collocationem explicabat in editione Cic. de legg. Lpz. 1839, p. 283 sqq. hoc iam contendit: in his rebus non unam sed complures rationes expressas esse.

ad augendam tantum quaestionis materiam adhibui; id quod propter idem litterarum genus et horum commentariorum brevitatem facile fieri poterat.

Sed breviter mentionem faciamus rei criticae commentariorum de bello Gallico. Hac commentatione in virorum doctorum certamen, quod nuper de codicum stirpis β fide vehementissime exarsit, descendere neque volumus neque possumus. Nolumus, quod ambiguis illis locis, quibus codd. dissentiunt, nulla ratio probatur; aliorum autem locorum satis superque habemus. Accedit quod hac nostra commentatione de stirpis α vel β fide diiudicare omnino non possumus. Qui obiter hanc rem tetigit, ei notabile fortasse videatur, quod in verbi collocatione in primis α et β stirpes differunt; et notabilius etiam videatur, quod verbis in sententiae initio collocatis semper fere congruunt utriusque stirpis codices, in finibus autem sententiarum saepius diversae collocationes inveniuntur. Sed recte adhuc nemo ab hac codicum differentia exorsus est ad fidem alterius stirpis probandam. Prae libertate enim, qua in hac re Romani utebantur, facillime utraque collocatio exemplis fulcitur. Aliis igitur rebus, quae certius diiudicantur alterius stirpis fides probetur oportet, priusquam de his rebus certius iudicare possimus. Illa autem quaestio nuperrime a Klotzio, Rh. M. 64, p. 224 sqq. ad iudicem revocata est. De commentationis modo ac ratione hoc tantum addo: me consulto Delbrückii exemplum secutum non meros numeros praebuisse, sed omnibus locis exscriptis manifestissima exempla elegisse ad rationes probandas. Editiones secutus sum in belli Gallici et civilis commentariis Meuselii, quas edidit Berolini 1894 et 1906; Kübleri editionem Teubnerianam omnino contuli, secutus sum in belli Alexandrini commentario; praeterea ambiguis quibusdam locis adhibenda erat editio Oxoniensis, quam curavit R. du Pontet.

De encliticis verbi collocationibus. § 1—§ 12.

§ 1. Cum in singulis quas allaturus sum quaestionibus naturalis quidam et necessarius ordo non insit, ad nostram opportunitatem inter se conectendas putabam. Ac primum quidem encliticas verbi collocationes tractemus, de quibus vix quidquam adhuc enucleatum est. In omnibus fere commentationibus, quae de ver-

borum in lingua Latina collocatione adhuc scriptae sunt, de rhythmo aliquo enuntiati tamquam de maxima collocationum ratione expositum est. Quem vulgo ita interpretantur vvdd, ut verba graviora et leviora inter se excipiant; cf. Ch. K. Reisig l. a. p. 857 sq.; Raphael Kühner, Ausführl. Gramm. der lat. Spr. II², Hannover 1879. p. 1705; Goßrau, Von der lat. Wortstellung, Progr. Quedlinburg 1861. p. 6; multo moderatius et rectius de hac re iudicavit Schmalz, Lat. Syntax⁴, München 1910. p. 643. Nimium huic rei attribuit in primis Reisig, qui tamquam versus rhythmum hunc enuntiati rhythmum ut continuum interpretatus est; sed similia saepius inveniuntur; velut nuperrime Klotz arbitratus est pronomen „sese", cum pleniore sono pronuntietur, post vocem graviorem poni non posse; p. 232, et similiter iudicavit p. 225 et 234. Nemo adhuc ab scriptoribus antiquis hanc legem tam constanter adhibitam esse demonstravit; neque omnino dubito, quin numquam illam legis formam, quam supra descripsimus, quisquam adhibitam reperturus sit. Sed pauca ad sententiam illam Reisigii refutandam affero, cum infra satis multa inveniantur, quae illi legis formae plane adversa sunt. Voces encliticas cumulari notissimum est; cf. Delbrück, Vgl. Synt. III. p. 51; cf. etiam de lingua Latina quae obiter exposuit Wackernagel, J. F. I. p. 413 et 429. Facile praeterea cognoscas tota enuntiata eadem qua encliticas voces ratione collocari; velut II. 33, 3. „Celeriter, *ut ante Caesar imperaverat,* ignibus significatione facta . . . concursum est, III. 15, 1 Deiectis, *ut diximus,* antemnis, cum singulos binae ac ternae naves circumsteterant, V. 19, 1 Cassivellaunus, *ut supra demonstravimus,* omni . . . 3, 86, 1 Pompeius quoque, *ut postea cognitum est,* suorum . . ." Hae sententiae item atque encliticae voces, cf. § 9, secundum seu tertium enuntiati locum obtinent et cum totae per se levioris momenti sint, cf. simillimam rem quam observavit Henricus Weil, p. 93, facile ex his locis agnoscitur omnino de certo et constanti illo enuntiati rhythmo cogitari non posse. Huc quoque pertinet, quod optime Wundt exposuit p. 406: „In nichts verrät sich dabei die allen rein metrischen Verhältnissen nicht selten zuwiderlaufende Abhängigkeit des Akzents von der Gefühlsbetonung auffälliger als darin, daß in der gewöhnlichen Rede bald mehrere ganz unbetonte Wörter beinahe enklitisch auf einander folgen, bald aber auch Akzente verschiedener Stufe an einer be-

stimmten Stelle des Satzes sich häufen." De gravioribus vocabulis cumulatis § 3 d. videbimus; cf. etiam § 43.

Nonnullos quidem locos inveniri, qui re vera rhythmum aliquem praebere videantur, minime nego; velut VII. 29, 6 „cuius consensui ne orbis *quidem* terrarum *possit* obsistere"; Sed hoc loco satis perpicitur hunc rhythmum nihil nisi enclisin esse, quae mero casu interdum continuatur. De „quidem" particulae enclisi disserere opus iam non est, de verbi enclisi infra explicabimus et videbimus enclisin omnino rem usitatam esse. Haec igitur encliseos pro rhythmi notione nobis substituenda est.

His, quae supra allata sunt, satis probatur Reisigii rationem in lingua Latina non valere. Interdum autem eadem rhythmi notione vvdd. utuntur in collocationibus, quas ipsi concedunt encliticas esse; velut Delbrück V. S. p. 110 sq. de vocum encliticarum in secundo enuntiati loco collocatione scripsit ex rhythmico sensu oriri; cf. etiam Thurneysen, Ztsch. f. roman. Philologie 1892, XVI, p. 304. Facile intellegitur, quomodo factum sit, ut hanc potissimum notionem vvdd. adhiberent; res enim, quam sentimus, rhythmo multo usitatior et notior est, et enclisis praeterea antiquorum hominum definitione obscurata est. Nam re vera, si nostrae Germanorum linguae rhythmos respicis, omnino nihil nisi continuata enclisis est rhythmus; forma igitur magis quam re differunt et ineptior quam falsior rhythmi notio est in hac re.

Priusquam autem ad singulos locos perscrutandos accedamus, summatim nonnulla de enclisi exponenda sunt. Cum de enclisi quis loquitur, facile de illa cogitat, quam homines antiqui intellegebant. Qui omnino voces encliticas suum ipsarum accentum amittere putabant. Sed nonnullas voces encliticas esse nuperrime cognitum est, de quibus valde dubitare possis, num re vera accentum suum plane amiserint; velut: quoque, igitur, aliae particulae; cf. de his rebus H. Ottenjann, de vocum encliticarum apud Plautum collocatione, Monasterii Guestf. 1910, p. 9 sqq. Sed quomodo omnino encliticae voces intentae sint, minus hoc loco nostra interest. Missam itaque hanc artis phoneticae quaestionem faciamus et de encliseos causa potius nonnulla disseramus.

Henricus Ottenjann l. a. optime Ritschelium secutus duas vocum encliticarum classes distinxit: alteram earum, quae logicum

tantum accentum amittunt, alteram illarum, quae praeter logicum grammaticum quoque accentum amittunt. Unde illud facile intellegitur, rem principalem in enclisi non grammaticum sed logicum accentum esse. Sed idem alia ratione repertum et clarius fortasse expressum est. Illa enim Ritschelii distinctio, qua grammaticum ab logico accentu seiunxit, plane congruit cum artis phoneticae distinctione. Hac disciplina singularum vocum et totius enuntiati accentus („Wortaccent, Satzaccent") distinguuntur. Illum singularum vocum accentum Ottenjann grammaticum vocavit; totius enuntiati accentus nihil aliud est atque ille, quem Ottenjann logicum vocavit accentum, singulorum scil. vocabulorum secundum logicam gravitatem seu levitatem intentior seu levior pronuntiatio, cf. Brugmann, Kurze vglde. Gramm. der indog. Spr. Strßb. 1904. p. 55. Recte igitur Skutsch, vir harum rerum peritissimus, iam pridem enclisin recentiori illi disciplinae attribuit, quam nos vocamus, „Satzphonetik", cf. Plautinisches und Romanisches, Lpz. 1892, p. 153; atque magis dilucide idem non singularum vocum, sed totius enuntiati accentum in hac re respiciendum esse exposuit hoc loco: Krit. Jahresber. üb. d. Fortschr. der rom. Phil. ed. K. Vollmöller II. p. 57 sq. Haec igitur summa esse videtur huius ratiunculae: Cum antiqui homines grammaticum tantum, id est singularum vocum accentum, respexerint, nunc iam illum logicum, id est totius enuntiati accentum, respiciamus oportet, in quo omnis enclisis posita est.

Sed ipsi facile hanc rem exemplo probare possumus. Saepius eandem vocem videmus modo encliticam modo plane intentam esse, prout maiorem aut minorem in enuntiato vim et notionem habet, velut „ne" et „nam" coniunctiones, vel particulae; cf. etiam pronomina personalia, quae persaepe leviora et enclitica sunt, interdum oppositione intenduntur, item atque in linguae Graecae pronominibus manifestissimum est. Grammaticus igitur accentus, quantum ad enclisin attinet, res admodum fortuita et secundaria est, quae plane ex enuntiati accentu pendet; cf. Wundtii sententiam, qui p. 407 sq. enuntiati accentum omnino rem principalem fuisse docet, unde grammaticus ille accentus magna ex parte ortus sit; praeterea ipsa enclisis minime singularum vocum propria est ita, ut vox, cum semel intentior fuerit, nunquam enclitica esse possit; cf. Brugmann, K. v. G. p. 55. Haec res nota quidem, sed non satis

respecta esse videtur; in verbi enclisi maxime valet, ideoque alia exempla opportune hoc loco adduntur, quibus res illustratur: de „igitur" particula vide Kretschmer, K. Z. 31, 340; de „quisque" pronomine et de „uterque" cf. Wackernagel p. 416; de rei substantivo cf. Klotz, Bursians Jahresber. XXXVI, 1883, 427; de modi nomine vide Lindsay, Die lat. Sprache übs. v. Nohl. Lpz. 1897. p. 195.

In eodem autem enuntiati accentu posita est non solum vocis encliticae levitas, sed etiam illius, ad quam applicatur, gravitas. Illud enim in primis nostra interest voces encliticas non modo ad illas voces applicari, quae omnino plenam, ut ita dicam, intentionem habeant, sed ad illas potissimum, quae eximia gravitate insignitae sint. Facilius scil. excellens vocabuli intentio agnoscitur, quam solita, etiamsi plena sit. Itaque si probaverimus verbum item atque illas encliticas voces, quarum de enclisi nemo iam dubitat, ex suo loco moveri et ad eximias enuntiati voces applicari, cf. de hac vocum encliticarum proprietate H. Weil p. 95, optimo iure de enclisi quadam verbi loquemur.

De verbi enclisi quomodo nostris fere diebus disputaverint et iudicaverint viri docti, Delbrück, V. S. III. p. 56 sqq. breviter exposuit. Ipsius Delbrückii sententia omnium illarum commentationum tamquam summa esse mihi videtur. Verbum enim finitum quod vocatur in Indogermanorum lingua encliticum quidem putat fuisse, sed tamen non omni sono caruisse; leviorem aliquam intentionem habuisse arbitratus est. In linguam Latinam haec levior intentio convenire videtur; cf. Delbrück, V. S. III. p. 66. Itaque nobis quoque in hac Delbrückii sententia niti licet, praesertim cum res ipsae quas afferemus, cum hac sententia optime conveniant. In primis ad illa, quae de enuntiati accentu exposita sunt, aptissima est haec sententia, quae simul aliis observationibus facile firmatur; velut Delbrück ipse adnotavit V. S. p. 110 non tantum levissimas voces, quae omni sono carent, encliticas esse, sed omnino voces leviores. Praeterea in notissimis encliticis Ottenjann varios encliseos gradus invenit, et ipsi huiusmodi res infra in verbis etiam observabimus, cf. etiam Delbrück, V. S. III. p. 51, et quae breviter de his rebus adnotavit A. Dittmar, Syntakt. Grundfragen, Progr. Grimme 1911. p. 36 sq. — Optime igitur hanc Hirtii — Der indog. Accent, Strßb. 1895, p. 293, — interpretationem tamquam prin-

cipium huius quaestionis afferre possumus: „Der Begriff der Unbetontheit oder Enklise ist hier immer nur relativ; unsere Forschung gestattet meistens nur zu erkennen, daß ein Wort höher oder stärker als ein zweites betont war . . ."

Hoc loco etiam alius rei breviter mentionem faciamus, quam nuper phonetica disciplina vvdd. reppererunt, comprehensionem illam dico syllabarum, quae uno principali sono continentur („Sprechtakt"), de qua disseruit Sievers, Grundzüge der Phonetik, Lpz. 1901 [5]. Hanc comprehensionem Hirt p. 292 in verborum collocatione multum valere arbitratus est. Sed hanc quaestionem ita facillime absolvamus, ut quaeramus, quae ratio inter hanc comprehensionem et enuntiati accentum intercedat, quem in verbb. collocatione praevalere vidimus. Sievers ipse p. 241 § 651 exposuit intentione singularum enuntiati partium mutata etiam singulas comprehensiones mutari; unde satis intellegi mihi videtur comprehensionem plane ex logico enuntiati accentu pendere. Collocatio igitur verborum magis ad comprehensionem valet quam comprehensio ad collocationem; cf. de hac re etiam Jespersen, Lehrb. d. Phonetik, Übstzg. von H. Davidsen, Lpz. 1904, p. 203, § 210, qui arbitratur comprehensiones illas recitando maxime observari, cum singula vocabula non fere secundum logicam gravitatem intenta sint.

§ 2. Ad res ipsas iam accedamus. Facillimum esset, — quod ad verbum auxiliare attinet, — ab usitate illa in secundo enuntiati loco collocatione ordiri, quae sine dubio enclitica est; sed reliqua verba rarius hoc loco posita sunt. Praeterea alia encliseos forma exstat, quae artificiosior et exquisitior quidem primo obtutu videatur, multo autem saepius invenitur et encliseos maxime propria est; traiectionem illam verbi dico, qua inter vocabula artius cohaerentia verbum inseritur, inter nomina scil. cum adiectivis vel genitivis attributivis conexa et adiectiva verbaque, quibus adverbium iniungitur.[6]) Haec collocatio hunc in modum plerumque ex-

---

[6]) De traiectionis definitionibus, quae variae apud veteres rhetores et grammaticos inveniuntur, cf. Boldt, de liberiore linguae Graecae et Latinae collocatione verborum capita selecta, Goetting. 1884, p. 8 sqq. Hac commentatione, cum omnino verbi tantum collocationes tractemus, facile traiectionis significationem adhibere possumus propria hac qua supra attuli notione.

plicatur: vocabula hoc modo intercisa magis conspicua esse et intendi; cf. H. Weil, p. 93; Schmalz, Synt., p. 647; Marouzeau, p. 84 et passim. Havet autem, Mélanges Nicoles, Genf 1905, p. 225 sqq., ostendit primam fere huius figurae vocem, — id est vocabulum, quod verbum antecedit, — insigniter intendi; idem antea breviter iam adnotaverat Kühner, p. 1077. Haec ipsa res sine dubio encliseos gravissimum argumentum est, cum aliter omnino explicari non possit, cur prima potissimum vox intentior sit. Solita autem illa per intercisionem explicatione effectus et vis collocationis cum causa plane confunditur. Vocabula tunc conspicua sunt, cum maiore sono pronuntiantur; — pronuntiando enim homines antiquos legisse constat, — et proferuntur maiore sono, quod maiorem in animo eius, qui loquitur, vim habent; cf. Brugmann K. v. G., p. 679, „das lebhafter Appercipierte tritt in der Tonbewegung des Satzes stärker hervor . . ." Propter hanc autem maiorem intentionem graviori vocabulo levius additur, ut respirare possit vox. Maior igitur vocabuli antecedentis intentio non effectus, sed causa huius collocationis est; et haec ipsa collocatio, cui praecipue rhythmicae nomen inditum est, — cf. Seyffertii et C. F. W. Mülleri ad Cic. Lael. commentarium, Lpz. 1876, p. 49 et p. 334. — meram enclisin exhibet.

Alia graviora argumenta huius per enclisin explicationis paragrapho insequenti ex ipsis locis allaturi sumus; antea breviter nonnulla consideremus, quibus plane refutatur illa per disiunctionem explicatio. In primis inter hanc et simplicem enclisin, quam § 5 sqq. tractaturi sumus, certus finis non interest; id quod facile ex illis quos § 11 allaturus sum locis intellegitur. Verbum, ex quo infinitivus pendet, ibi in ipsum infinitivum secundo loco insertum est; de diremptione ut in traiectionis exemplis dici non potest, cum ipsae voces non tam arte cohaereant, quamquam grammaticus enuntiati ordo hac collocatione neglegitur. Huc etiam referendum est, quod illos locos, qui adverbium a praedicato separatum exhibent verbo auxiliari, in traiectionibus numeravimus § 4 i; cf.: A. 31, 3 „adeo *sunt* incitati"; illos, qui adverbialia hoc modo a praedicato seclusa habent, in simplicis encliseos locis numeravimus § 5, cum his locis diremptio vix sentiatur; cf. 3, 59, 1 „opera . . . optima fortissimaque *erat* usus".

Accedit ad hanc argumentationem firmandam, quod eadem disiunctionis forma in diversis verbi collocationibus invenitur. Infra videbimus interdum, maxime scil. adiuvante (cf. p. 18) vocum encliticarum analogia, eandem hyperbati figuram effici solemni illa collocatione, qua verba graviora in medium enuntiatum procedunt (cf. § 34 e s. f.), negationes (§ 37), numeri (§ 38), nomina propria (§ 39), superlativi (§ 42), alia graviora vocabula (§ 36) propter gravitatem post verbum remittuntur. Sola igitur diremptione collocationes explicari non possunt.

Neque tamen mera figura ideoque plane neglegendum est hyperbaton. Diligentissimam sine dubio deliberationem habet haec una res, quod multo maiorem numerum invenias encliticarum verbi traiectionum quam simplicis encliseos. Atque haec una huius rei explicatio esse mihi videtur, quam Kroll nuper obiter indicavit, qui (Glotta III., p. 11, adn. 1) omnino voces encliticas ad traiectionem inclinasse arbitratus est. Argumentum huius explicationis ipse numerus, quem explicavit, gravissimum est, quippe qui aliter intellegi non possit. Praeterea extra ipsius verbi collocationem nonnulla argumenta exstant. Sed priusquam ad haec ipsa accedamus, complures praeiudicatas de hac collocatione opiniones tollamus oportet et altius repetamus, quae vvdd. de hac re opinati et arbitrati sunt.

Ipsa collocatio cum figura illa rhetorica, quae hyperbaton vocatur, notissima esset, pro rhetorum fere artificio adhuc habita est. Quam opinionem Louisa Lindhamer, Zur Wortstellung im Griechischen, Lpz. 1908, auxit, non probavit. Itaque Obbarius, Philol. V., p. 145 sqq., putabat hanc linguae Latinae collocationem non genuinam, sed a Graecis translatam esse; idem iudicavit W. Schmid, Der Atticismus . . . II., p. 284. Rectius Boeckh, C. I. G. I, 25, et Schulze B. ph. W. 1890, p. 1471 sq., inscriptionum testimonio innisi opinati erant hanc collocationem vetustissimam vel Indogermanicam esse. Probavit hanc sententiam J. Wackernagel celeberrima de collocatione vocum encliticarum commentatione, quae saepissime etiam in lingua latina traiectionem vel similem intercisionem efficiunt; cf. Wackernagel l. a. p. 407 sqq. Hae res facile deliberatione illustrantur: Vocabulis illis, quae logica ratione inter se cohaerent, diremptis sine dubio perspicuitas orationis minuitur. Quo modo igitur tam antiquis temporibus mero artificio haec collo-

catio oriri et propagari poterat? Vix cogitari potest.[7]) Immo ad ipsam linguae rationem, ut modo explicavimus, hanc enclisin adaptatam esse necesse est. Sed ne hanc deliberationem opinionis commentum esse dicas, scriptorum usum breviter consideremus, a quo minime deliberatio nostra abhorret. J. R. Koene, Über die Wortstellung in der lateinischen Sprache, Münster 1831, p. 107, hanc verbi traiectionem persaepe apud Nepotem, rarius apud Ciceronem et Livium, perraro apud Caesarem inveniri exposuit. Idem in lingua Graeca observavit Louisa Lindhamer, p. 73: hyperbati scil. figuras plurimas in oratione secundum rhetorum praecepta composita inveniri. Qua igitur naturae humanae indole hoc factum est? De hac re vix quisquam dubitet, quin, quo maior componendae et pronuntiandae orationis ars sit, — de histrionibus facile cogitaveris, si nostrae aetatis exemplo tibi opus est, — eo diligentius singulorum vocabulorum logica gravitas seu levitas significetur intendendo; eo maior autem huius encliticae traiectionis necessitas, ut ita dicam, est. Eandem habet explicationem, quod Norden p. 759 exposuit: Ciceronem in sublimi fere dicendi genere his verbi traiectionibus uti. Facile igitur intellegitur, cur haec collocatio rhetoribus, qui omnino naturam industria adiuvabant, sublimis orationis egregium artificium visum sit; cf. Norden p. 66. Neque tamen hac re explicatio nostra tollitur; cum enim naturam inprimis imitarentur rhetores, plerumque enclitica huius collocationis ratio servata est.

Sed cum consuetudine illius inusitatae collocationis oratores, et omnino fere homines antiqui, eruditi essent, factum est, ut interdum ultra illam encliseos rationem traiectionis figura adhiberetur. Haec affectata et mere oratoria traiectio a naturali et enclitica traiectione maxime distinguenda et separanda est in explicatione nostra. Apud A. Hirtium

[7]) Huic interpretationi una res obstare videtur, quam protulit Elisa Richter: Zur Entwicklg. der roman. Wortstellung aus der lateinischen, Halle 1903, p. 2: in linguis Romanicis quae vocantur, huiusmodi collocationes non observantur; unde Richter concludit hoc modo verba non in sermone, sed in artificiosa tantum oratione collocata esse. Ut neglegamus Plauti et aliorum sermonem, qui illi iudicio prorsus adversus est, ipsa conclusio falsa est. Nonne in linguis Romanicis aliis rebus tribuenda est mutata collocatio? orationis scil. perspicuitati, quae servari non facile poterat singularum vocum et formarum exitu amisso.

Vielhaber, Z. f. d. österr. Gymn. XX, 1869, p. 549, observavit irritae et inanis traiectionis consuetudinem in primis expressam esse. Neque a Caesaris sermone prorsus alienae sunt huiusmodi traiectiones. Ipso perparvo numero, — 12 omnino numeravi, — quem cum encliticarum traiectionum numero vix possis comparare, probatur explicatio, qua has traiectiones ex encliticis derivatas esse putavimus; exempli gratia velim conferas hos locos: V, 44, 8: „Avertit hic casus vaginam et gladium educere conanti dextram *moratur* manum, VIII, 13, 1, proelia . . ., quae ad vada transitusque *fiebant* paludis."

Hic simillimam quaestionem silentio praeterire non possumus. Nonne traiectiones, quas breviter p. 16. commemoravimus, ex eadem analogia ortae sunt? Harum traiectionum numerus item non magnus est, quo probatur fortasse opinio nostra; sed in eisdem collocationibus aliae leges valent, quas supra breviter adnotavimus. Atque falsum sine dubio esset, si alteram rationem plane ab his collocationibus removeremus; quid enim mirum, quod ex tanto rationum numero complures interdum concurrunt? Hanc igitur huius capitis summam conficere possumus: encliseos primitus traiectionem maxime propriam esse, etiamsi longius traiectionis fines analogia prolati sint.

Sed hac degressione, ex qua modo rediimus, magis defensum quam probatum est propositum nostrum. Ipsam argumentationem incohatam deinceps conficiamus. Duo potissimum argumenta addere possumus illius vocum encliticarum ad traiectionem proclivitatis: Lex est, qua Indogermanorum praepositiones post nomina sua primum collocabantur; cuius legis perpaucae in lingua Latina exstant reliquiae. Admodum facile autem illis locis praepositiones postponuntur, ubi inter nomen et attributum traiciuntur, velut: „omnibus in locis"; conf. de his locis et rebus Leonis commentationem: Bemerkgn. üb. plautin. Wortstellung und Wortgruppen, Nachrichten der Kgl. Ges. der W. z. Götting. phil. hist. Kl., 1895, p. 418. In hac re manifesta est illa vocum encliticarum (de praepositionum enclisi cf. Skutsch, Plaut. u. Rom., p. 157.); ad traiectionem inclinatio, quippe qua sola praepositionum vetustissima collocatio servata sit. Eadem vocum encliticarum proprietas dilucida est inde, quod his tantum vocabulis dirimuntur artissimae vocum iuncturae, quae usu et consuetudine in unam fere vocem

coaluerint. Nam earum vocum, quae facillime difficillimas traiectiones efficiunt, sine dubio traiectio maxime propria est. Plurima huius rei testimonia collegit Leo, qui p. 419 sqq. exposuit vocibus enclicitis praepositiones a nominibus suis dirimi; velut Capt. 225 „sineque arbitris“, Stich. 453 „ite hac secundum vos me“, alia; de eadem re cf. Wackernagel, p. 408.[8]) Huc praeterea referendae sunt illae collocationes, quas tmeseos nomine significamus, cf. Leo, p. 420, qui cum alia tum haec attulit exempla „sub vos placo“, „disque tulissent“; cf. etiam Wackernagel, p. 406 sq. Similiter encliticis tantum vocibus dirimuntur aliae artiores vocabulorum iuncturae; velut: quomodo, quo pacto, qua causa, cf. de his rebus Leo, p. 426 sqq.

Sed summam faciamus huius paragraphi. Cum vocum encliticarum maxime propria sit traiectio, in omni vocabulorum diremptione facile quidem de enclisi suspicari licet; neque tamen sola diremptione suspicionem probare possis, cum latius propagatum sit hyperbaton. Sed alia argumenta non desunt. Ea, quae in toto genere inveniuntur, proposuimus p. 15 sq.

§ 3. Restat, ut singulos locos perscrutemur, qui encliseos argumenta praebent. Hoc consilio exposita ratione ad exempla collocationis accedamus.

a) Henricus Ottenjann, p. 31, observavit apud Plautum in tmesi omnino cum encliticis vocibus nihil fere nisi verba inveniri, etiamsi nulla metrica necessitate poeta coactus sit ad hanc collocationem. In hac re O. encliticam verbi naturam perspici suspicatus est, optimo iure, ut mihi videtur. Eodem fere argumento hoc loco uti possumus; multo magis fortasse, quod his exemplis vox antecedens eximia gravitate insignita est, quo facilius vocabula enclitica ad eam inclinantur. Inde autem vim et auctoritatem habet hoc argumentum, quod saepius complures encliticae voces in unum locum post vocem intentiorem concurrunt. Confer de his rebus, quae obiter optime adnotavit Wackernagel p. 413 et 429, et item, quae exposuit Delbrück, V. S. III. p. 51 sqq. Maxime nostra interest, quod in notissima enclisi verbi auxiliaris, quod secundo enuntiati loco positum est, idem invenitur cf. § 9 f. Itaque

---

[8]) Similia in Graecorum lingua observavit H. Boldt p. 30.

cum verbum una cum notissimis encliticis persaepe vocabula intentiora sequatur, etiam de verbi enclisi cogitandum est his locis. Accedit, quod eodem ordine, quo encliticae voces applicantur, hae voces collocantur, ita scil. ut levissima quaeque vox primum post vocem intentiorem locum obtineat.

Levioris fortasse in hac argumentatione momenti sunt huiusmodi loci, qui frequentes occurrunt et encliticam vocem ante verbum in traiectione praebent collocatam, quae per se alium locum obtinere vix possit; velut „-que", „enim", „quidem" particulas: V 45, 3 „Hic servo spe libertatis magnis*que persuadet* praemiis, 2, 4, 4 Communi *enim fit* vitio naturae, ut . . . 3, 20, 3 integras *vero tenere* possessiones . . ." Eo magis autem huiusmodi loci valent, qui pronomina ante verbum praebent collocata: I 33, 1 „magnam *se habere* spem . . . VII 59, 3 Tum Labienus tanta rerum commutatione longe aliud *sibi capiendum* consilium, atque antea senserat, intellegebat . . . 1, 33, 2 Pompeius . . . dixerat eodem *se habiturum* loco, qui Romae remansissent et qui in castris Caesaris fuissent." Idem vocabulorum ordo constanter aliis compluribus locis adhibitus est.[9]) Sed ipsa ratio his quae attulimus exemplis satis illustratur. Singulares tantum nonnullos locos diligentius consideremus: 1, 78, 4 „quo spatio plures *rem posse* casus recipere intellegebant. VI 38, 2 videt . . . in summo *rem esse* *) discrimine: VI 39, 1 quanto *res sit* **) in periculo cognoscunt." Facile aliquis putet his locis subiectum propter usitatam in initio collocationem ante verbum traiectum inseri. Cur autem hoc unum potissimum rei substantivum? Reliqui omnes loci, qui ante verbum vocabulum insertum exhibent, aliud sollemne vocabulorum genus alia de causa hoc loco praebent; cf. quae capite c) exeunte exposita sunt. Alia igitur explicationis via ingredienda est. Rei substantivum encliticum esse iam pridem certissime cognitum est ex metrica Plauti et Terentii ratione; cf. Klotz, Bursians Jahresber. XXXVI 1883, p. 427, idem: Grundzüge altroem. Metrik, Lpz. 1890, p. 324; cf. etiam Leo p. 419, adn. 2. Qua de causa nemo iam dubitare potest, quin huc maxime hi loci pertineant; et cum hoc insequenti loco per

---

[9]) inepto igitur loco Larsen pronomen „se" addidit qui scripsit: A. 68, 1 „nullam posse se excusationem . . . recipere."

*) esse rem α.

**) sit res β.

ipsam sententiam et pronomen et rei substantivum levissima sint, idem arbitror de hoc loco: 3, 111, 2 „ac longe maximam ea res attulit dimicationem." Similia praeterea § 9 f. inveniemus.

b) Hi qui sequuntur loci plane eadem ratione explicantur; sed longe maioris momenti sunt. Ubi enim participium cum verbo auxiliari vel infinitivus cum verbo finito in traiectione post vocem intentiorem collocata sunt, verbum auxiliare vel finitum vocem illam graviorem subsequitur; ut exempla afferam: IV 3, 1 „Publice maximam *putant esse* laudem quam latissime a suis finibus vacare agros: V 8, 6 quae . . . amplius DCCC uno *erant visae* tempore, 1, 48, 6 pecora, quod secundum *poterat esse* inopiae subsidium, . . . 2, 28, 3 . . . neu contra eos arma ferrent, qui eadem *essent usi* fortuna eademque in obsidione perpessi, 3, 82, 1 . . . cohortatur, ut parta iam victoria praedae ac praemiorum *velint esse* participes, . . . 3, 92, 1 Inter duas acies tantum *erat relictum* spatii, ut . . . A 56, 3 quibus parum *videbatur imposuisse* oneris, ampliorem pecuniam imperat." Huiusmodi loci, qui saepe inveniuntur, in primis notabiles sunt, quod ex similitudine superiorum locorum verissimillimum est hos locos per enclisin explicandos esse et in ipsis verbis encliseos gradus inveniri, id quod de reliquis vocibus encliticis iam adnotaverunt Delbrück, V. S. III, p. 51 sqq. et Ottenjann l. a.[10])

c) In primis autem nostra per enclisin explicatio probatur permultis illis locis, qui una cum verbo alias complures voces traiectas praebent; longe maior enim locorum pars verbum ad intentiorem vocem inclinatum exhibet. Unde verisimillimum est huiusmodi collocationum rem principalem non esse diremptionem, sed verbi ad graviorem vocem inclinationem, quam enclisin vocamus. Exempla ipsa respiciamus: V 29, 3 „magno *esse* Germanis dolori Ariovisti mortem . . . VII 21, 1 summum *esse* Vercingetorigem ducem, nec de eius fide dubitandum, 1, 51, 6 Hoc pugnae tempus magnum *attulit* nostris ad salutem momentum; V 58, 5 magna *proponit* iis, qui occiderint, praemia."

Dimidia pars omnium qui huc pertinent locorum adverbia

[10]) Perpauci loci huic legi non parent; qui per se facile ex usitata verbi collocatione explicantur: V 55, 1 „multo minorem superesse dicerent partem. A 51, 2 tanta oblata esset facultas."

vel adverbialia cum verbo inserta exhibet; ea scil. de causa, quod per se artius cum verbo cohaerent;[11]) conf. hos locos: I 38, 3 „Namque omnium rerum . . . summa *erat* in eo oppido facultas, 1, 64, 7 Ac tantum *fuit* in militibus studii, ut . . . 3, 53, 3 Sed in castello illo nemo *fuit* omnino militum, . . . VIII 15, 5 . . . quorum summa *erat* in castris copia, 3, 74, 2 Exercitui quidem omni tantus *incessit* ex incommodo dolor tantumque . . ."

Interdum autem huius legis exceptiones inveniuntur, quae per analogiam explicantur et ipsae sollemnem habent formam. Adverbialia enim, quae plerumque verbum antecedunt, etiam in his traiectionibus usitatum suum locum obtinent; simillimam rem § 34 c reperiemus. Pauca hoc loco sufficiunt exempla: III 13, 8 „Neque enim iis nostrae rostro nocere poterant, — tanta *in iis erat* firmitudo, — 3, 63, 3 Hoc enim superioribus diebus timens Caesar . . . duplicem *eo loco fecerat* vallum", Notabilis praeterea huiusmodi collocatio esse videtur: I 16, 5 "qui creatur annuus et vitae necisque in suos habet potestatem"; quae non solum in verbi et adverbialis artiore iunctura posita est; sed solitam illam nominis cum praepositione inter nomen et attributum collocationem simul exhibere videtur.

d) Ad aliam traiectionis formam transeamus, quae item maioris in hac commentatione momenti est. Saepius accidit, ut plures voces graviores in initio traiectionis positae sint; quas verbum sequitur. Huiusmodi locis illa Reisigii, Seyffertii, Klotzii ratio refutatur, qui invicem graviores et leviores voces inter se excipere putabant: 2, 29, 1 „At in castris Curionis magnus omnium *incessit* timor animis. 3, 32, 4 dictitabant enim se domo patriaque expulsos omnibus necessariis *egere* rebus", Huiusmodi autem locis, ubi illa ad quam verbum inclinatur gravior vox ipsa dirempta non est, dilucide perspicitur omnino enclisin in huiusmodi collocationibus plurimum valere, diremptionem minoris momenti esse: VI 40, 3 „alii", (scil. censent) „ut in iugo consistant atque eundem omnes *ferant* casum. VII 45, 3 Longo circuitu easdem omnes *iubet petere* regiones."

---

[11]) conf. § 34 c, ubi complures locos attulimus, qui verbo propter gravitatem praemisso adverbiale usitate ante verbum praebent collocatum; cf. etiam § 45.

§ 4. a) Sed satis explicasse mihi videor de traiectionum ratione; exempla nonnulla deinceps consideremus ex reliquis locis, qui plurimi inveniuntur. Ac primum quidem illa respiciamus, quae nihil singulare habent: III 9, 4 „Pedestria *esse* itinera concisa aestuariis, navigationem impeditam . . . 1, 49, 1 Multum *erat* frumentum provisum et convectum . . . A 73, 1 quae multo *erant* propiora regis castris, II 17, 4 . . . equitatu nihil possent . . . sed quidquid possunt, pedestribus *valent* copiis —, V 1, 2 paulo latiores, quam quibus in reliquis *utimur* maribus.*) 3, 13, 4 Hoc idem reliqui *iurant* legati; 3, 77, 2 Hoc idem reliquis *fecit* diebus. VI 13, 1 nam plebes paene servorum habetur loco, . . . VII 20, 2 regnum illum Galliae malle Caesaris concessu quam ipsorum *habere* beneficio VII 84, 4 quod suum periculum in aliena vident virtute constare; 2, 39, 5 ut, quidquid *intercederet* temporis, hoc omne victoriam morari videretur"; eadem collocatio invenitur in isdem verbis: 3, 82, 2. „A 71, 2 quod aliis temporibus natura facere consueverat, tunc necessitate *fecit* adductus, ut . . ."

b) Item atque in verbi auxiliaris et substantivi simplici enclisi [12]) infra videbimus § 5, etiam hic complures encliseon formae distingui possunt, prout ad certa vocabulorum genera verbum inclinatur. Quae res nobis ea de causa notabilis est, quod ad eadem vocabula etiam verbum auxiliare inclinatur, et praeterea eadem vocabulorum genera etiam aliis collocationibus cognoscemus intentiora esse. Haec inter diversas commentationis partes congruentia gravissimum mihi videtur explicationis argumentum esse; qua de causa excusationem habet, quod saepius singularum collocationum rationes revocavi et contuli. Primum nonnullos ex illis locis consideremus, qui verbum ad nomen proprium — vel eiusmodi adiectivum, — per enclisin applicatum exhibent. I 1, 1 „Gallia *est* omnis divisa in partes tres; IV 3, 3 et ipsi propter propinquitatem [quod] Gallicis *sunt* moribus adsuefacti. VIII 23, 1 Concurrunt reliquarum civitatum legati, quae Bellovacorum

---

*) maribus uti adsueverant. *β*.

[12]) In reliquorum verborum simplici enclisi sollemnes hae formae non expressae sunt, quippe cum illa enclisis omnino rarius inveniatur. Itaque cum in traiectione perinde atque levissima verba auxiliaria reliqua verba collocentur, facile concludas, quam propria sit encliseos traiectio et quantopere hac figura enclisis iuvetur.

speculabantur eventum." Conferendi sunt cum his locis plurimi illi, qui nomina propria propter gravitatem post verbum praebent remissa § 39 et verbi substantivi vel auxiliaris ad nomina propria inclinationes § 5 b. Similiter etiam in lingua Graeca verbum collocari observavit, — neque tamen recte explicavit, — Louisa Lindhamer p. 72.

c) Infra § 38. videbimus numeros persaepe in lingua Latina propter gravitatem post verba remitti; eadem de causa verbum traiectum ad numeros applicatur; velut: V 29, 6 „unam *esse* in celeritate positam salutem II 1, 1 . . . omnes Belgas, quam tertiam *esse* Galliae partem dixeramus, . . . VI 7, 2 cum duas *venisse* legiones missu Caesaris cognoscunt. A 37, 4 . . . simplici derecta acie cornua trinis *firmabantur* subsidiis"; De simillima Graecae linguae collocatione vide Lindhamer p. 72.

d) Negationes item atque in aliis linguis etiam in lingua Latina insigni sono ornatas esse infra § 37. certe cognoscemus; facile igitur explicatur, quod verba etiam in traiectionis figura saepius ad negationes applicantur, per enclisin scil., item atque de verbo auxiliari § 5 f. demonstrabitur; cf. etiam quae infra sub i) explicata sunt. Sed paucos locos exempli causa respiciamus: II 32, 2 „sed deditionis nullam *esse* condicionem nisi armis traditis. VI 23, 5 In pace nullus *est* communis magistratus, 1, 66, 4 ab hoc hostem prohiberi nihil *esse* negotii. VI 13, 1 nam plebes . . . nulli *adhibetur* consilio. VI 23, 6 Latrocinia nullam *habent* infamiam, . . . 1, 78, 5 Nullum *intercedebat* tempus, quin . . ." Similis in lingua Graeca invenitur collocatio, vide Lindhamer l. a.

e) Superlativos et comparativos intentius fere vocabulorum genus fuisse ex ipsa notione fortasse concludas; probatur eo, quod persaepe post verbum comparativi et superlativi remittuntur gravitatis causa; cf. § 42, praeterea conferenda sunt, quae § 5 e exposita invenies de verbo auxiliari vel substantivo ad hoc vocabulorum genus inclinato. Cuius collocationis in traiectione item plurima inveniuntur exempla; pauca huc allaturus sum: VI, 40, 7 „virtutis causa in superiores *erant* ordines huius legionis traducti, VII, 32, 3 summo *esse* in periculo rem, 3, 66, 4 quod eo loco plures *erat* legiones habiturus, VI, 21, 5 in turpissimis *habent* rebus; VII, 23, 5 summam *habet* opportunitatem, VII, 66, 6 Id quo maiore *faciant* animo, . . . VIII, 53, 2 quo maiores *pararent* necessitates,

3, 66, 4 relicto interiore vallo maiorem adiecerat munitionem. 3, 25, 2 Quantoque eius amplius processerat temporis, tanto . . ." Idem traiectionis genus in lingua Graeca invenitur, cf. Lindhamer l. a.

f) Verbum auxiliare simplici enclisi facile ad illas voces applicatur, quae insignem aliquam quantitatem significant, cf. § 5 c; idem in hac verbi enclisi invenitur, saepius enim verbum traiectum inclinatur ad has voces: omnis, magnus, tantus; ut exempla afferam: VII, 17, 7 „praestare omnes *perferre* acerbitates, quam . . . 3, 70, 1 quo minus omnis *deleretur* exercitus, 3, 87, 2 Omnibus *interfui* proeliis neque . . . VI, 30, 2 nam ut magno *accidit* casu, ut . . . sic magnae *fuit* fortunae . . . 2, 34, 4 quod magnum *habere* usum . . . sciebat, . . . 3, 31, 2 magnas *imperaverat* pecunias 2, 31, 8 neque tanti *sum* animi, 2, 37, 1 tantam *habebat* suarum rerum fiduciam. A. 7, 1 tantus *incessit* timor, . . ."

g) His qui sequuntur locis verbum applicatur ad pronomen demonstrativum vel determinativum; simillimi sunt illis, quos infra § 5 d tractabimus. Permulti quidem huiusmodi exstant loci, sed satis habeo exemplis quibusdam rationem demonstrare: 3, 57, 3 „Scipionem ea *esse* auctoritate, . . . V, 14, 5 sed qui sunt ex eis nati eorum *habentur* liberi . . . VI, 4, 5 eadem *ferunt* responsa. VII, 77, 11 Si illorum nuntiis confirmari non potestis . . ., his *utimini* testibus . . . 1, 78, 3 In his *erat* angustiis res. 3, 50, 2 Quibus rebus usu docti haec *reperiebant* remedia, ut . . ."

h) Deinceps mentionem faciamus traiectionis, quae, — item atque loci, quos § 6 allaturi sumus, — verbum non ad ipsam vocem intentiorem inclinatum exhibet, sed ad substantivum vel adiectivum attributive cum illa voce coniunctum; grammatica scil. relatio his locis praeter enclisin valuit: VII, 62, 2 „suae pristinae virtutis et tot secundissimorum proeliorum *retinerent* memoriam . . . A. 5, 2 Hoc tamen flumen in ea parte *erat* urbis, quae . . . A. 32, 4 in suam partem oppidi magna gratulatione *venit* suorum;"

i) Huc denique referenda est notabilis collocatio illorum verborum, ex quibus infinitivus pendet, et verbi auxiliaris. Haec verba item atque alia verba finita in fine enuntiati post infinitivum collocari solent. Si cum adverbio vel adverbiali infinitivus coniunctus est, — quod item atque adiectivum attributivum intentius fere est quam illa, cui attribuitur vox, — facile verbum finitum quod vo-

catur traiectione ad infinitivi attributum inclinatur; nam sonum plerumque leviorem habet, quam antecedens nomen verbale, infinitivum dico; id quod supra sub § 3 b satis observatum est. In hac collocatione maxime mihi videtur intellegi, quantum in lingua Latina verbi enclisis valuerit; huius enim collocationis gratia ipsa fere perspicuitas orationis neglegitur, cum saepius falso adverbium vel adverbiale cum verbo finito coniungere possis, quod antecedit. Huiusmodi quadraginta loci inveniuntur, ex quibus 12 exstant in VIII de bello Gallico,[13]) 8 in anonymi de bello Alexandrino commentario; neque tamen his numeris continentur totidem fere eiusdem generis loci, quos altera huius capitis parte explicaturus sum. Collocationis genus manifestissimum est his exemplis: VII, 1, 8: „postremo in acie *praestare* interfici quam non veterem belli gloriam . . . recuperare. VIII, 10, 1 parvis copiis castra munitione ipsa *videbat* posse defendi.[14]) VIII, 43, 1 clamorem undique *iubet* tollere. 1, 32, 8 ut operibus anteire studuerit, sic iustitia et aequitate *velle* superare. 1, 59, 3 et praeter consuetudinem omnium noctu *instituerant* pabulari. 3, 1, 6 prius hoc iudicio populi *debere* restitui quam suo beneficio videri receptos, 3, 15, 8 et Caesarem id summe *sciebant* cupere, A. 24, 5 ut lacrimas, quas in colloquio proiecerat gaudio *videretur* profudisse."

In hanc enumerationem illos locos qui „posse" verbum exhibent, silentio inserui, quamquam adverbium, quod ad verbum infinitum revera pertinet, facile cum finito coniungas; de traiectionis igitur argumento, quod maxime proprium est encliseos, his locis minus facile cogitare possis. Sed cum non facilius ad verbum finitum quam ad infinitivum adverbium referatur, et cum reliqua verba, ex quibus infinitivus pendet, dilucide hanc relationem praebeant, de eadem enclisi in hoc verbo cogitandum est. Idem in verbo auxiliari et omnino in verbis, ex quibus infinitivus pendet, observatur illis locis, ubi cum negationis particula coniuncta sunt. (In hac re respiciendum est nobis, quod H. Hirt p. 305. exposuit: in lingua Indogermanorum vetustissima verbum omnino enclitice ad negationem adiunctum fuisse; idemque in lingua Latina fuisse

---

[13]) cf. Vielhaberi de Hirtii traiectionum consuetudine iudicium, quod § 2 allatum est.

[14]) Notabilis est hic locus, cum eundem vocum encliticarum exhibeat ordinem, quem modo § 3 b invenimus.

ex hisce verbis concluditur „nescio, nolim <* nevolim"; conf. etiam de hac re Stolz, Histor. Gramm. d. lat. Spr. I, Lpz. 1894, p. 97, et Delbrück, V. S. III. p. 110, et Bücheler, Umbrica, Bonnae 1883, p. 171.) Schmalz, Synt. p. 646 adnotavit in optima latinitate has tantum collocationes inveniri: „non est laudatus, laudatus non est"; ac prior huc maxime pertinet. Huius collocationis encliticam rationem aliis locis simillimis demonstremus, qui magis dilucide expressam exhibent. Eadem enim collocatio in illis verbis, ex quibus infinitivus pendet, persaepe invenitur [15]; velut: V, 46, 4 „Reliquam partem exercitus, . . . non *putat* exspectandam; VII, 5, 6 non *videtur* pro certo esse ponendum. VIII, 23, 4 Quem quia non *arbitrabatur* vocatum in castra venturum, ne . . . VIII, 48, 10 quod ego non *existimavi* mihi esse faciendum, 1, 2, 2 non *oportere* ante de ea re . . . referri." De his locis idem dicere licet, quod supra de „posse" verbo cum adverbiis coniuncto exposuimus; sed his locis saepius facile sentitur negationem ipsa sententia ad infinitivum pertinere, unde ipsa enclisis cognoscitur. Similia autem in ipso verbo auxiliari observantur.

Verbi auxiliaris ante participium cum negatione coniuncti exempla afferre omnino supervacaneum est,[16]) illud tantum de hac collocatione addendum est: etiam in gerundivo saepissime adhiberi. Ad probandam illam per enclisin explicationem alios complures locos allaturus sum, ex quibus dilucide cognoscitur verbum auxiliare etiam tum ad negationem inclinari, cum sine dubio non verbum, sed praedicati nomen quod vocatur negatur: I, 3, 7 „non *esse* dubium, quin, II, 8, 3 non *esse* inferiores, I, 14, 2 non *fuisse* difficile cavere; I, 39, 7 non *fore* dicto audientes milites, I, 40, 12 non *fore* dicto audientes, I, 50, 5 non *esse* fas . . ., V, 55, 2 non *esse* amplius . . . temptaturos, VIII, 1, 3 non *esse* autem alicui . . . recusandam, 1, 84, 3 non *esse* . . . suscensendum, 3, 26, 4 ab austro non *erat* tutus, 3, 44, 1 non esse faciendum." Etiam magis firmari potest argumentatio nostra; eodem modo omnino ad adverbia per enclisin adiunctum est verbum auxiliare permultis locis

[15]) cf. Antibarb. der lat. Spr. ed. Krebs-Schmalz. Basel [6] 1886—88 II, 142.

[16]) Hic locus facilem habet excusationem: 1, 11, 2 „si peracto consulatu Caesaris non profectus esset", verbi scil. deponentis singulae partes non tam facile pro attributo et copula habebantur, ideoque minus facile dirimebantur.

(ipse quadraginta exscripsi, ex quibus septem anonymo debentur, qui de bello Alexandrino scripsit), quibus item optime illustratur non ad verbum auxiliare, sed ad participium adverbium, — neque aliud negationis particula est, — pertinere. Ex his exemplis rem facile perspicias: IV, 23, 2 „cum paulo tardius *esset* administratum, V, 28, 1 quod civitatem ignobilem . . . bellum facere ausam vix *erat* credendum. VII, 66, 5 id quod magis *futurum* confidat", (mera forma hic locus ab reliquis aliquantum differt.); VIII, 10, 1 „cum pabulatum . . . longius *esset* proficiscendum, 3, 51, 1 cuius adventu facile *sunt* repulsi Pompeiani. 3, 112, 7 Reliquis oppidi partibus sic *est* pugnatum, ut . . . A. 12, 1 Eo detrimento adeo *sunt* fracti Alexandrini, A 65, 3 cum secundo proelio vehementer *esset* inflatus, . . ." Ex his simillimis locis certe intellegitur etiam huius collocationis: „non *est* laudatus" enclisin primam esse causam; qua in re multum valet communis illa maior negationum in lingua Latina intentio; cf. § 37.

Sed nonnulla refutemus oportet, quae contra hanc explicationem afferri possint. Facile concedimus interdum aliquantum differre huiusmodi collocationes; velut „non potest fieri" et „non fieri potest", cf. Antibarb. II, p. 143. Sed haec singularia exempla nihil fere ad illas collocationes valent. Hanc unam rem diligentius consideremus necesse est: Facile in lingua Latina, si non una vox negatur, ad verbum apponitur negationis particula. Sed quaerendum est, nonne omnino his locis participium negatum sit. Praeterea autem in hac collocatione „non est laudatus" verbum auxiliare negationis particulae, non particula verbo subiuncta est. Illa una igitur encliseos explicatione usitatissima collocatio „non est laudatus" satis explanari potest.

Huc usque reservavi simillimam collocationem verbi „posse". Non quo putarem aliter ortas esse huiusmodi collocationes: I 31, 13 „non posse eius imperia diutius sustineri. VI 16, 3 non posse . . . placari, VII 55, 10 non posse transiri videretur. VIII 2, 2 non potuerant contineri, quin . . . 1, 26, 5 non posse agi de compositione. 1, 67, 2 non posse clam exiri. 1, 69, 2 non posse inopiam diutius sustinere . . . 2, 12, 4 non posse milites contineri, quin . . ." Delbrück V. S., p. 64, adnotavit de lingua Sanscritica: „In negativen Sätzen, welche die Negation ná enthalten, übt diese auf das Verbum sak, können, eine solche Anziehungskraft aus (vgl. Lat. ne-

queo), daß das Verbum fast immer vor den Infinitiv zu stehen kommt." Idem igitur in lingua Latina invenitur; sed pro attractionis notione in lingua Latina encliseos substituenda est, id quod supra satis probatum est. Alia autem quaestio est haec, num Romani etiam senserint negationem primitus non ad „posse" verbum, sed ad infinitivum pertinuisse. Ipse non arbitror. Conferamus compositum illud, quod Delbrück iam attulit: „nequeo." Nonne verisimillimum est eodem modo ortum esse? Respiciendum enim est in enclisi omnem verborum compositionem maxime niti. Unde verisimillimum mihi videtur esse illud, de quo Kroll benigne me admonuit: haec loquendi formula „non posse" nescio quod compositi genus iam factum est, illis scil. simillimum, quae Brugmann composita distantia nominavit; Ber. üb. d. Verhandlgn. d. sächs. Ges. phil. hist. Kl. 52. (1900) p. 359 sqq.

Satis de his traiectionum formis exposui; de toto genere aliquid addendum est. Longe maior traiectionum munerus, — vix tertia pars excepta est, — verbum paenultimo enuntiati loco exhibet; hanc rem iam observavit J. R. Koene p. 101. Sed similem rem in paragrapho 7 invenies; neque ab exemplis, quae § 8 allaturus sum, haec res aliena est; itemque in aliis collocationibus facile observari mihi videtur verbum difficillime longius solito loco procedere, nisi ipsum intentius est. Haec enim summa illius in praemultimo loco collocationis explicatio esse videtur; quae eo fortasse probatur, quod verbum auxiliare longe facilius in priorem locum traicitur, ipsum scil. saepissime priore loco collocatur.

§ 5. Deinceps simplicem verbi enclisin consideremus. Satis notum est pronomen „quisque", cuius de enclisi vix quisquam dubitet, post voces intentissimas fere superlativos, numeros, alias poni atque id non solum in secundo enuntiati loco, sed etiam in media sententia, cf. Wackernagel p. 415. Eadem vocum encliticarum communis ratio in verbo invenitur. Cum aliqua enuntiati vox gravitate et sono excellit, verbum saepius ad hanc vocem accedit. Ad argumentationem firmandam in exemplis afferendis a verbo auxiliari et substantivo incipiam, et huius, — quod encliticum saepissime esse constat [17]) — collocationes a verbo omnino non

---

[17]) cf. de hac re, quae disseruit Lindsay p. 191 sq. et Stolz p. 107, et Sommer, Hdb. der lat. Laut- u. Formenlehre. Heidelb. 1902. p. 100;

differre invenies. Verbi auxiliaris plus centum decem exscripsi locos, qui nihil habent singulare; ex his complura exempla allaturus sum:

a) I 40, 12 „scire enim . . . aut fortunam defuisse aut . . . avaritiam *esse* convictam. I 44, 8 Ut ipsi concedi non oporteret . . . sic item nos *esse* iniquos, . . . I 44, 12 Quod si eum interfecerit, multis sese nobilibus . . . gratum *esse* facturum: IV 12, 1 nihil timentibus . . . quod . . . is dies indutiis *erat* ab his petitus, IV 32, 4 pars una *erat* reliqua, V 39, 4 hanc adepti victoriam in perpetuum *se fore* victores confidebant." — de pron. ante verb. inserto vide § 3 a. — VII 38, 7 „Quasi vero inquit ille, consilii *sit* res ac non necesse sit nobis Gergoviam contendere et . . . VIII Pr. 8. aliter audimus ea quae . . . aliter, quae pro testimonio *sumus* dicturi. VIII 23, 6 non tam pugnandi quam fugiendi *fuit* utrorumque consilium: 1, 79, 2 Si mons *erat* ascendendus . . ., cum vallis . . . suberat . . . 3, 9, 6 His expugnatis eodem impetu altera *sunt* adorti . . . A 61, 4 quo maxime rem deducere volebat, necessitate *est* deductus, III 19, 6 Nam ut ad bella suscipienda Gallorum alacer et promptus *est* animus sic mollis ac . . . III 9, 7 ac longe aliam *esse* navigationem in concluso mari . . ." Hi duo loci notabiles sunt eo, quod ad praedicati nomen quod vocamus verbum inclinatum est. Commemorandus est hoc loco liber doctissimus, quem scripsit Marouzeau, La phrase à verbe être en latin Paris 1911. Hic vir doctus ad paucas rationes per se non falsas nec plane ignotas nimis multos locos refert. Alias graviores rationes neglexit, in his maxime enclisin. Wackernageli de verbo auxiliari sententiam, — cf. § 9 — quae aliis commentationibus tamquam fundamentum esse debet, refutare conatus est, p. 271 sqq. et verbum auxiliare ad praedicati tantum nomen inclinari arbitratus est, quocum per se iam artius cohaereat, p. 228, 230, 275. Hac enim iunctura maxime adiuvari videtur putasse. Ipse minime iuncturam illam nego. Sed cum praedicati nomina, de quibus hic agitur, ipsa propter gravitatem praemissa sint, enclisis et logica illa iunctura his locis separari non possunt; ideoque huc maxime referenda sunt.

Polaschek, Studien zur gramm. Topik im corpus Caes. Progr. Floridsdorf 1902, nonnullas huiusmodi collocationes adnotavit p. 15, sed quamquam de applicatione loquitur, enclisin neglexit.

Cf. exempli gratia hunc locum, qui mera enclisi verbum ad praedicati nomen applicatum exhibet: 3, 71, 2 „Pompeius eo proelio imperator *est* appellatus." Reliqua Marouzeavii sententia optime refutatur non singulis erroribus detegendis, quod longum est, sed contraria probando; id quod hac commentatione, qua latius singulas rationes indagavi, satis factum esse arbitror.

b) Sed etiam harum collocationum singulares formas distinguere possumus, prout ad certa vocabulorum genera verbum auxiliare applicatum est, quae alias [18]) etiam intentiora esse invenimus: velut primum hic locos nonnullos exempli causa propositurus sum ex 28 locis, qui verbum ad nomen proprium inclinatum praebent: I 9, 3 „Dumnorix ... apud Sequanos plurimum poterat et Helvetiis *erat* amicus, II 4, 1 Plerosque Belgas *esse* ortos a Germanis . . . 3, 87, 5 Hae copiae . . . in citeriore Gallia *sunt* refectae, A 34, 3 bello Alexandrino non accurrit, quod . . . per Syriam *erat* missa. A 42, 1 Sub idem tempus in Illyrico *est* incommodum acceptum, . . ."

c) Item intentius est eorum vocabulorum genus, quae copiam vel magnitudinem aliquam significant, de quibus supra § 4 f. plura vidimus; hic demonstrativum huiusmodi pronomen saepius invenimus: IV 17, 7 „tanta *erat* operis firmitudo atque . . . VI 41, 2 Ac tantus *fuit* etiam post decessum hostium terror, ut . . . VII 46, 5 ac tanta *fuit* in castris capiendis celeritas, . . ."

d) Ad maiorem huius vocis intentionem ipsa vis demonstrativa aliquid valuisse videtur. Saepius enim etiam ad pronomina demonstrativa et determinativa verbum auxiliare per enclisin applicatur; cf. I 43, 8 „Populi Romani hanc *esse* consuetudinem, ut . . . III 7, 2 Eius belli haec *fuit* causa. IV 30, 1 quae hoc *erant* etiam angustiora, quod . . . 1, 10, 2 quorum haec *erat* summa": Omnino huiusmodi ad 20 locos numeravi. In VIII de bello Gallico et in commentario, qui est de bello Alexandrino, vix invenitur haec collocatio.

e) Persaepe etiam ad comparativos seu superlativos [19]) verbum auxiliare hoc modo applicatum invenitur; 15 scil. locis, ex quibus 4 praebet anonymi commentarius, 3 octavus de bello Gallico

---

[18]) cf. § 4 b et § 39.

[19]) Similia repperimus § 4 e; cf. etiam quae § 42 de insigni superlativi et comparativi sono enucleata sunt.

liber. Ex his exemplis rationem facile cognoscas: I 45, 3 „. . . populi Romani iustissimum *esse* in Gallia imperium; V 44, 4 quaeque pars hostium confertissima *est* visa, VIII 31, 2 quin recenti calamitate summissiores *essent* futurae, A 11, 4. Ita proelium secundissimum *est* factum."

f) Item ad negationes, quas eximiam gravitatem in lingua Latina habuisse § 37. certius cognoscemus, verbum auxiliare per enclisin applicatur; velut V 29, 6 „si nihil *esset* durius, VIII 55, 2 quamquam nulli *erat* dubium, 1, 72, 2 praesertim cum non minus *esset* imperatoris . . . VI 25, 4 neque quisquam *est* huius Germaniae, qui . . . A 36, 2 nec sibi quicquam *fore* antiquius quam . . ." De particula „non" vide § 4 i.

g) Complura verba interdum inter se respondentia vel coniuncta hoc ipso maiore quodam sono efferri et alterum ea de causa nonnumquam praemitti § 34 e facilius videbimus. Huc nonnulli loci referendi sunt, qui similem praebent formam. Priori enim illi vocabulo nonnumquam commune verbum auxiliare per enclisin additur. Ipsa collocatio vulgo figura ἀπὸ κοινοῦ vocatur. Henricus Boldt, qui p. 69 sq. de hac figura disputavit, optime iam observavit maxime in hac figura sentiri gravitatem vocis, quae verbum antecedit, cf. p. 73 et p. 76 et p. 104; sed haec vocis antecedentis gravitas non effectus, sed causa collocationis est. Id quod ex ipsis his exemplis facile intellegitur: I 2, 1 „Apud Helvetios longe nobilissimus *fuit* et ditissimus Orgetorix. IV 25, 1 naves longas, quarum et species *erat* barbaris inusitatior et motus ad usum expeditior, I 6, 3 Extremum oppidum Allobrogum *est* proximumque Helvetiorum finibus . . . A, 7, 2 . . . si defendendi essent Alexandrini neque fallaces *esse* neque temerarii, A 45, 2 quod et tempestas *erat* turbulenta et nulla suspicio hostis."

§ 6. Pronomina enclitica non semper ad gravissimas voces inclinari possunt; saepius igitur ad voces applicantur; quae plenam, ut ita dicam, intentionem habent; cf. 3, 17, 2 „Postulabat Caesar, ut legatos *sibi* ad Pompeium . . . mittere liceret"; cf. etiam linguae Graecae verbum auxiliare. Nonne idem in verbo auxiliari verisimillimum est? Num autem in collocatione haec inclinatio expressa sit, ipse dubito. Loci enim, quos huc allaturus sum, praeterea aliam habent excusationem; verbum auxiliare ad vocem gra-

viorem praebent inclinatum, quae ipsa cum insignita altera voce attributive coniuncta est. Ipsa igitur collocatio ratione simillima vel potius eadem orta est atque illae, quas supra attulimus, sed praeter enclisin grammatica etiam relatio valuit; cf. II 31, 5 „Sibi omnes fere finitimos *esse* inimicos ac . . . invidere;[20]) V 9, 5 . . . arboribus succisis omnes introitus *erant* praeclusi. VII 14, 2 Docet longe alia ratione *esse* bellum gerendum, VIII 13, 4 quorum periculo sic omnes copiae *sunt* perturbatae, . . . 2, 32, 8 non proditi per illum Caesaris beneficio *estis* conservati? 3, 64, 3 In eo proelio cum gravi vulnere *esset* adfectus aquilifer . . ." Huiusmodi loci admodum frequentes occurrunt; ipse circiter triginta numeravi.

§ 7. Transeamus ad verba, ex quibus infinitivus pendet; quae item hanc enclisin dilucide expressam praebent,[21]) praesertim cum ipsa per se leviora sint cf. § 3 b. Numerus locorum, qui huc referri possunt, admodum magnus est; ipse ad quadraginta numeravi; ex quibus haec consideremus exempla: I, 39, 1 „saepe numero sese cum his congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum *dicebant* ferre potuisse, I 43, 8 ut . . . non modo sui nihil deperdere, sed . . . honore auctiores *vellet* esse; V 1, 3 Has omnes actuarias *imperat* fieri, VI 14, 5 In primis hoc *volunt* persuadere . . . VII 29, 6 cuius consensui ne orbis quidem terrarum *possit* obsistere; VIII 30, 1 quem . . . facere in provinciam *voluisse* impetum cognitum est,*) VIII 44, 3 cum sibi conscius esset, quam inimicum *deberet* Caesarem habere, 1, 11, 1 Erat iniqua condicio . . . exercitum Caesaris *velle* dimitti, (ipsum scil.) dilectus habere; A 10, 5 quae neque virtutem *posset* notare neque inertiam."

§ 8. Cum in his verbis enclisin tam dilucide expressam invenerimus, per se quidem verisimile est etiam in reliquis verbis idem inveniri. neque tamen mirum esse videtur, quod difficilior haec quaestio est. Sed satis multa et satis certa haec exempla

---

[20]) cf. de huius loci vocalium concursu § 57.

[21]) Leviter hanc rem tetigit Kühner, qui l. a. p. 1076 de videndi et dicendi et putandi verbis loquitur. Praeterea huc etiam illa magna ex parte pertinent, quae Lindsay p. 194 de verbis, quae item vocantur auxiliaria, exposuit; sed respiciendum est L. summatim de enclisi loqui, non de illa tantum, quae etiam ad collocationem aliquid valuit.

*) in provintia impetum voluisse S β.

mihi videntur; velut: V 2, 2 „singulari militum studio in summa omnium rerum inopia circiter DC eius generis cuius supra demonstravimus naves et longas XXVIII *invenit* instructas"; numerus scil. et per se maioris momenti est, cf. § 38, et comparando etiam magis intenditur. Hoc insequenti loco „uxores" et „liberi" oppositione intenduntur, et verbum ad priorem vocem inclinatur: V 14, 4 „Uxores *habent* deni duodenique inter se communes et . . . sed qui sunt ex iis nati . . ." Simillime explicatur hic locus: VIII 45, 2 „compluribusque Treveris interfectis et Germanis, qui nullis adversus Romanos auxilia denegabant, principes eorum vivos *redigit* in suam potestatem." His qui sequuntur locis item verbum inclinatur ad voces oppositione intentiores: A 33, 2 „Nam maiore ex duobus pueris, rege, amisso minori *tradidit* regnum maiorique ex duabus filiis, 1, 13, 5 Caesar milites Attianos conlaudat, Pupium dimittit, Auximatibus *agit* gratias seque eorum facti memorem fore pollicetur. 3, 82, 1 Pompeius . . . apud cunctum exercitum suis *agit* gratias, Scipionis milites cohortatur, ut . . .[22]) VI 30, 2 sic magnae fuit fortunae omni militari instrumento, quod circum se habebat, erepto, raedis equisque comprehensis ipsum *effugere* mortem. VII 86, 1 sqq. Caesar Labienum cum cohortibus VI subsidio . . . mittit, . . . Ipse *adit* reliquos; A 3, 3 Paucis ante annis Gabinium cum exercitu fuisse in Aegypto; Pompeium se ex fuga eodem recepisse; Caesarem *venisse* cum copiis; A 58, 4 nam se contra Cassium *consentire* cum omnibus, contra Caesarem ne facere cogerentur, orare." Aliis locis verbum per enclisin additum est ad vocem, quae propter ipsam notionem intentior est; velut: 3, 64, 2 „Itaque quocumque adducebatur subsidio, id correptum timore fugientium terrorem . . . augebat; 3, 13, 3 tantusque terror *incidit* eius exercitui, . . . ut . . ." Complures praeterea loci eadem lege explicantur, sed ipsa ratio his locis satis probata esse mihi videtur.[23])

---

[22]) cf. I 41, 2 ei gratias egit, 2, 21, 1 gratias agit, 3, 91, 3 gratias agas.

[23]) Franciscus Raspe p. 31. iam observavit interdum post gravissima verbum collocari; sed de enclisi minime cogitabat; enuntiatum hoc modo dividi seu concludi aliquo modo putabat, quo magis gravius illud verbum intendi posset. Sed etiam haec Raspii observatio oblivione oblitterata esse videtur; unus Kühner p. 1076 breviter huius rei mentionem fecit et Raspii exempla attulit. Huc etiam illa pertinent, quae

§ 9. Omnes, quas adhuc tractavimus, encliticae collocationes, in libero illo logico enuntiati accentu positae sunt. Saepissime autem hoc accentus genus in initio enuntiati invenitur; atque solito hoc initii sono factum est, ut omnino voces encliticae secundum enuntiati locum appetant; ita per consuetudinem et usum hic locus iam proprius vocum encliticarum factus est. Sed cum haec propria vocum encliticarum collocatio iam certe cognita sit a Wackernagelio J. F. 333 sqq., maxime nostra interest, num etiam in verbo haec collocatio inveniatur. De verbo auxiliari Wackernagel hoc affirmavit. Idem obiter tetigit tmeseis, quae hac collocationis lege efficiuntur, et tmesi maxime propinqua vel potius idem est traiectio, quae persaepe eadem hac lege orta est. Neque tamen, quae § 2 et sqq. tractavimus, huc revocare in animo habeo; hyperbati genus, quod hoc loco nobis commemorandum est, verbum inclinatum praebet non ad vocem per se insignem, ut illae quae supra explicatae sunt traiectiones. Immo consuetudo, qua prima enuntiati vox intenditur, non ipsius vocis gravitas huius encliticae traiectionis causa est; huius igitur paragraphi legi huiusmodi loci debentur: IV 3, 3 „quorum *fuit* civitas ampla atque florens, . . . III 8, 1 Huius *est* civitatis longe amplissima auctoritas . . . VI 27, 1 Harum *est* consimilis capris figura et varietas pellium." Sed satis de his singularibus locis scriptum est; reliqua exempla respiciamus, atque inprimis verborum genera, ad quae verbum auxiliare inclinatur secundum hanc legem, consideremus:[24])

a) Primum quidem nonnullos locos exempli causa respiciamus, qui nihil singulare habent: VI 19, 4 „Funera *sunt* pro cultu Gallorum magnifica et sumptuosa; VII 19, 1 Collis *erat* leniter ab infimo acclivis. II 4, 7 nunc *esse* regem Galbam: 3, 87, 3 multi domum discesserunt, multi *sunt* relicti in continenti. 3, 85, 4

---

de notissimis verbi inclinationibus — nolo, malo < * mage volo, quamvis, quodlibet, aliis — explicata sunt a Lindsayo p. 194, Stolzio p. 97. Quae ad illam mere phoneticam, ut ita dicam, enclisin pertinent, sed tamen tamquam argumenta ad hanc commentationis partem afferri possunt, qua collocationes encliticas tractamus.

[24]) Polascheck quidem numeros similium verbi auxiliaris et substantivi collocationum, quae in libris de Caesaris bellis scriptis inveniuntur, diligentissime composuit; sed alia ratione et consilio.

Animo *simus* ad dimicandum parati:" Omnino huius generis circa 45 exstant loci.

b) Cum persaepe pronomina demonstrativa vel determinativa in initio sententiae inveniantur, saepius verbum auxiliare vel substantivum post haec pronomina positum est: V 6, 5 „id *esse* consilium Caesaris, ut . . . V 34, 1 illorum *esse* praedam atque illis reservari quaecumque Romani reliquissent; VI 27, 3 His *sunt* arbores pro cubilibus; 3, 9, 8 [Hic *fuit* oppugnationis exitus.] VII 39, 2 His *erat* inter se de principatu contentio, VII 14, 3 Id *esse* facile, quod . . ." Huiusmodi ad viginti locos numeravi.

c) E. Richter p. 85. adnotavit apud Varronem saepius verbum ad pronomen relativum applicatum inveniri; eandem fere rem apud veteres Romanorum poetas observavit Deecke, De usu pron. relativi ap. poetas veteres Latinos quaestiones syntacticae, Goetting. 1907 p. 7; sed neque Richter neque Deecke hanc rem explicavit. Apud Caesarem in verbo hoc omnino non observatur, persaepe autem haec collocatio invenitur in verbo auxiliari vel substantivo; ut exempla afferam: I 16, 1 . . . „frumentum, quod *essent* publice polliciti, IV 6, 5 qui *sunt* Treverorum clientes, IV 34, 3 qui *erant* in agris reliqui, V 15, 3 qui *erant* in statione pro castris conlocati, VII 44, 3 qua *esset* aditus ad alteram partem oppidi; VII 64, 4 qui *sunt* finitimi [ei] provinciae, 1, 48, 7 Qui *erant* pabulandi . . . causa progressi, 1, 65, 5 Quod *fuit* illis conandum atque omni ratione efficiendum; 1, 20, 1 milites, qui *erant* Corfinii, . . . 2, 20, 2 quae *essent* ibi in praesidio, 3, 29, 3 pontones, quod est genus navium Gallicarum, A 57, 5 quae *fuerant* Cordubae in praesidio, . . ." Huiusmodi paulo plus 90 locos numeravi.

d) Proximum locum post pronomen relativum, — si numerum harum collocationum respicis, — obtinet coniunctio „ut" notione comparativa adhibita. Exempla quaedam consideremus: I 22, 3 „ut *erat* ei praeceptum a Caesare, IV 3, 3 ut *est* captus Germanorum; VII 47, 2 ut *erat* a Caesare praeceptum, 2, 22, 5 ut *est* imperatum, 3, 65, 3 ut *erat* superioris temporis consuetudo, 3, 93, 1 ut *erat* praeceptum a Caesare," Horum locorum numerus est 24, sed respiciendum est interdum etiam de adverbiali huius coniunctionis notione cogitari posse, ita ut ad adverbiale praemissum verbum applicatum sit; cf. § 45.

Haud ita multis locis ad eandem coniunctionem verbum auxi-

liare inclinatur, cum consecutiva vel finali notione adhibita est: VII 57, 1 „ut *esset* impedimentis praesidio 2, 4, 2 ut *essent* ab ictu telorum remiges tuti." Praeterea eiusdem modi quattuor inveniuntur loci in ipsius Caesaris commentariis.

e) Eadem ratione ad alias coniunctiones et particulas inclinatur verbum auxiliare vel substantivum circa quadraginta locis; cf. exempli gratia: III 14, 9 „unde *erat* propinquus despectus in mare, IV 28, 1 post diem quartum quam *est* in Britanniam ventum, IV 13, 5 quod contra, atque esset dictum et ipsi petissent, . . . 3, 42, 5 quod *sunt* loca aspera ac montuosa II 1, 1 Cum *esset* Caesar in citeriore Gallia IV 35, 1 si *essent* hostes pulsi, . . ."

f) Huc praeterea notabile quoddam collocationum genus, pertinet, quamquam specie quidem tertio enuntiati loco verbum praebet collocatum. Saepius enim, cf. § 3a, plures voces encliticae simul in secundum locum concurrunt, ubi certo fere ordine sese excipiunt. Sed cum in una atque eadem lege utriusque vocis encliticae collocatio posita sit, et secundum enuntiati locum utraque vox appetiverit, omnino vix causa est, cur de tertio enuntiati loco loquamur. Delbrück, V. S. III, p. 51 sqq. particulas ante alias encliticas voces secundo enuntiati loco collocari demonstravit exemplis ex reliquis Indogermanorum linguis petitis. In lingua Latina idem invenitur. Ex Caesaris commentariis hic commemorandi sunt admodum multi loci, qui particulam „que" vel „ve" ad primam enuntiati vocem applicatam exhibent, verbum auxiliare vel substantivum proximum locum obtinet, velut: 3, 44, 3 „multaque erant intra eum locum manu sata, VIII 7, 3 quodve esset consilium eorum, . . ." Sed haec collocatio per se fere consentanea est. Supra § 3a ex simili quadam vocum encliticarum collocatione ante verbum traiectum enclisin concludendam esse affirmavimus; maxime igitur nostra interest idem observari in hac notissima verbi auxiliaris vel substantivi enclitica collocatione. Pronomina enim et aliae encliticae voces verbum encliticum antecedunt, si una cum verbo in secundo enuntiati loco concurrunt; ut exempla afferam: I 31, 8 „Unum se *esse* ex omni civitate Haeduorum, qui . . . 1, 30, 5 omnia sibi *esse* ad bellum apta ac parata . . .[25]) VI 1, 3 si quid

---

[25]) Respiciendum est infinitivi constructiones saepius absolutas esse a reliqua sententia tamquam enuntiata secundaria; cf. § 34 a.

esset in bello detrimenti acceptum, 1, 2, 3 ne qua *esset* armorum causa: 3, 77, 1, si qua esset imposita dimicandi necessitas," Etiam reliquarum vocum encliticarum exempla quaedam consideremus: A 71, 1 „nemini enim *erat* ignotum plurimis de causis ad urbem Caesarem revocari 2, 32, 3 Quid enim *est* illis optatius, quam uno tempore et nos . . .[26]) VI 32, 4 Hoc fere est in mediis Eburonum finibus," Perpaucae huius legis apud Caesarem inveniuntur exceptiones: I 22, 3 „ut *erat* ei praeceptum a Caesare, VIII 1, 3 non *esse* autem alicui civitati sortem incommodi recusandam, si . . ."

Ipsam collocationis rationem hoc capite satis demonstravimus, qua similis collocationis interpretatio, quam proposuimus § 3a, probatur. Compluribus locis ante verbum auxiliare rei substantivum inseritur secundo enuntiati loco: I 4, 1 „Ea res *est* Helvetiis per indicium enuntiata. III 21, 3 cuius rei *sunt* longe peritissimi Aquitani, V 11, 5 etsi res *erat* multae operae ac laboris, VII 29, 2 cuius rei *fuerint* ipsi imperiti." Idem, quod § 3a iam attulimus, huc revocari necesse est: in primis mirum est, quod hoc potissimum vocabulum hic eundem atque encliticae voces obtinet. Hoc ipsum per se encliseos argumentum est. Sed § 3 a gravissima testimonia attulimus, quae hanc vocem encliticam esse docent. Ea igitur ratione hi loci explicantur, quam modo hoc ipso capite proposuimus.

g) Similiter his quos nunc allaturus sum locis, si rem oculis diiudicaveris de tertio enuntiati loco loqui possis, neque tamen iure. In initio enuntiati hi loci pronomen exhibent cum praepositione coniunctum. Praepositio nimirum cum pronomine artissime cohaeret, ut uno fere accentu in unam vocem comprehendantur; cf. Skutsch, Plaut. u. Rom., p. 157. — Haec igitur artissima iunctura illi collocationis legi, qua verbum auxiliare vel substantivum in secundum locum praemittitur, obstare et verbum hac de causa in tertium enuntiati locum recessisse videtur; ut exempla afferam: 1, 45, 2 „et sub montem, in quo *erat* oppidum positum [Ilerda], succedunt. VI 5, 4 Cum his *esse* hospitium Ambiorigi sciebat; . . ."

---

[26]) De „enim", „autem", „igitur" particulis apud Ciceronem ante verbum auxiliare positis cf., quae Fridericus Ellendt ad Cic. de orat. III 30, 119 adnotavit.

§ 10. Huic verbi auxiliaris et substantivi collocationi maxime propinqua est vel potius eadem est illa, qua saepius in tertio enuntiati loco collocatum invenitur.

a) Primum quidem locos nonnullos allaturus sum, qui ante enuntiatum, — de enuntiato scil. secundario fere agitur, — coniunctionem vel aliam vocem exhibent, qua totum enuntiatum in sententiarum contextum inseritur. Interdum interpunctione coniunctio ab insequenti sententia secernitur; quo optime demonstratur, quam arte haec collocatio cum superioribus cohaereat; verbum enim auxiliare re vera, si ipsam s e n t e n t i a m respicis, secundo enuntiati loco positum est. Num autem in p r o n u n t i a n d o moram fecerint homines antiqui, quis est, qui diiudicet? Delbrück, qui V. S. III, p. 55 de simillima collocatione exposuit, quae in aliis Indogermanorum linguis invenitur, addidit aut moram inter particulas interpositam esse aut omnino in unam vocem particulas coaluisse. Recte certiore de singulis locis iudicio abstinuit, cum hae res pro lonquendi celeritate („Sprechtempo") facile mutatae sint. Id quod facilius fortasse intelleges, si nostrae ipsorum linguae exempla respexeris, quae attulit H. Paul, Principien der Sprachgesch. Halle 1909 [4] p. 299 sq. in re simillima explicanda. Paul ibi exposuit de particulis enuntiati primarii, quae plane fere cum enuntiati secundarii particulis coaluerint in unam particulam; cf. in nostra Germanorum lingua: sowie, so daß, auch wenn. Neque ab lingua Latina haec res aliena est. Paul in primis has particulas proposuit: sicut, etsi, etiamsi, tam(en)etsi, alias. Hac similitudine loci infra allati optime illustrantur. In lingua Graeca Delbrück adnotavit in primis ἀλλά et κα ante enuntiatum hoc modo collocari. Simillime in lingua Latina „sed" atque „et" coniunctiones collocatae inveniuntur; velut: IV 2, 2 „sed quae *sunt* apud eos nata, parva atque deformia, haec . . . 3, 30, 1 sed quo *essent* [eae] delatae, primis diebus ignorabant. 3, 37, 2 Sed, cum *esset* inter bina castra campus circiter milium passuum II, . . . V 14, 5 sed qui *sunt* ex iis nati . . . 3, 67, 4 et tametsi *erant* munitiones castrorum magnae, VII 89, 2 et quoniam *sit* *) fortunae cedendum", Eadem ratione explicantur huiusmodi loci: 3, 49, 4 „atque ut erant loca montuosa et asperae angustiae vallium, 3, 92, 3 propterea

*) fortunae sit *β*.

quod est quaedam animi incitatio atque alacritas . . ." Nonnulli praeterea eiusdem generis exstant loci, sed ipsa ratio exemplis supra allatis satis probata esse videtur; duos tantum singulares locos huc referamus, qui eandem habent explicationem: V 28, 6 „postremo quid *esse* levius ant turpius quam auctore hoste de summis rebus capere consilium?" Adverbiale scil., quod ad totum enuntiatum spectat, praemissum est. Similiter atque locis supra allatis enuntiatum secundarium, hoc qui sequitur loco, infinitivi constructionem antecedit coniunctio: 2, 35, 1 „uti unus *esse* ex eius militibus et monere aliquid velle ac dicere videretur."

b) Cum omnino pronomina — in primis demonstrativa et determinativa et relativa ad sententias inter se coniungendas in initio poni soleant, interdum evenit, ut etiam ante coniunctionem praemittantur; verbum igitur auxiliare vel substantivum in tertium enuntiati locum removetur; ubi illam coniunctionem sequitur secundum usitatissimam paragraphi 9. legem: 3, 19, 4 „Quo cum *esset* postero die ventum, 3, 26, 2 Qui cum *essent* ex continenti visi, 3, 86, 2 Id cum *essent* plerique admirati, . . ." Cum pronomine autem relativo interdum arte coniuncta sunt alia vocabula, quae una cum pronomine ante coniunctionem praemittuntur, coniunctionem ut solitum enuntiati initium verbum auxiliare sequitur; hanc explicationem hi qui sequuntur loci habent: VI 27, 4 „Quarum ex vestigiis cum *est* animadversum a venatoribus, quo . . . . IV 37, 1 „Quibus ex navibus cum *essent* expositi milites circiter CCC . . ."

c) Delbrück l. a. p. 55 de aliis Indogermanorum linguis adnotavit voces encliticas in locum posteriorem ibi quoque recedere, ubi aliae voces propter singularem intentionem praemissae essent. Idem in lingua Latina nonnullis locis observatur; cf. 3, 79, 1 . . . „celeritati studebat, et suis ut *esset* auxilio et ad opprimendos adversarios ne . . ." De coniunctionis collocatione cf. Kroll l. a. p. 16; sed cf. etiam, quae ibid. p. 11. de pron. rel. collocatione exposuit. Hoc enim loco vix distinguitur, utrum sola enclisi post vocem intentiorem ante verbum coniunctio remota sit, an vox oppositione intentissima ante coniunctionem praemissa sit; ipse propter dilucidam oppositionem locum huc rettuli. Confer praeterea: I 26, 4 „Diu cum *esset* pugnatum", Singularis est hic locus: 3, 15, 7 „Interim postulant ut *sint* indutiae . . ." postulandi scil. verbum

ad praemissam illam intentiorem vocem per enclisin applicatum est, verbum substantivum solitum enuntiati initium sequitur.

§ 11. Reliqua verba non tam saepe secundo enuntiati loco poni per se fere consentaneum est. Sed ad ipsam rationem probandam satis multi loci inveniuntur. Priusquam autem ipsa verba, ex quibus infinitivus pendet, consideremus, simillima velim exempla consideremus, quae verba enclitice quidem praebent collocata, sed ea verba, ex quibus enuntiata non pendent, quibus inserta sunt. De „inquit" verbo exponere iam supersedeo. Eandem rationem haec praebent exempla: 2, 32, 10 „At, *credo*, [si] Caesarem probatis, in me offenditis. 3, 64, 4 Nolite, obsecro, committere, quod . ." Plane eandem rationem exhibent illi loci, qui enuntiatum secundarium brevius secundo loco collocatum exhibent; quorum exempla § 1. proposuimus. Hunc unum locum exempli causa affero, qui verbum praebet enclitice in enuntiatum insertum, quod ex ipso pendet. 3, 15, 7 „Interim *postulant* ut sint indutiae . . ." Admodum multi loci inveniuntur, qui ante verbum leviorem vocem in secundo enuntiati loco insertam exhibent; velut 3, 18, 4 „Quid *mihi, inquit,* aut vita aut civitate opus est, . . . 3, 64, 3 Hanc *ego, inquit,* et vivus multos per annos . . . defendi . . ." Huiusmodi locis optime probatur ea quam § 3 a proposuimus argumentatio; cf. praeterea § 9 f.

Ad ipsum argumentum huius capitis iam accedamus et consideremus verba enclitice infinitivi constructioni inserta, quae ex ipsis pendet: V 29, 2 „Caesarem *) *arbitrari* profectum in Italiam; VIII 9, 3 Haec *imperat* vallo pedum XII muniri, A 11, 2 Cui *coactus est* Caesar ferre subsidium, ne . . . A 19, 5 eodemque tempore quae *consueverant* navigia per pontes ad incendia onerariarum emittere, . . . A 57, 6 quos *cognoscit* non sua, sed Caesaris absentis causa sibi fidissimos esse . . ." [27]) Madvigii coniecturae hic locus debetur: 3, 57, 2 „hoc **) arbitrari vitio factum eorum, quos esse auctores eius rei voluisset", Praeterea huc fortasse pertinet haec collocatio: 3, 62, 3 „naves, quas *demonstravimus* aggere et

---

*) Meusel Ciacconium secutus scripsit: „Caesarem<se>arbitrari"; sed nihil hac re de enclisi mutatur, cf. § 9 f.

[27]) hoc loco cum amplior sit infinitivi constructio, etiam perspicuitatis studium valuisse videtur, cf. § 54.

**) nihil adhuc arbitrari *β*.

levis armaturae militibus completas . . . mittit . . ." Sed dubitare licet, num in participio omnino verbi auxiliaris infinitivus subaudiendus sit; neque sine aliquo iure hic locus insequenti paragrapho inseri poterat, ad quam deinceps nobis transeundum est.

§ 12. Illis quos supra tractavimus locis admodum dilucida est ipsa collocationis ratio diremptione vocabulorum, quae grammatica relatione coniuncta sunt. Difficilius in reliquis verbis illa ratio agnoscitur, cum pluribus de causis secundum enuntiati locum verbum obtinere possit. Admodum pauci igitur inveniuntur loci, qui certe secundo enuntiati loco verbum enclitice collocatum praebent; id quod ipsius verbi levitate probatur his locis: 1, 86, 3 „qui *habeant* domicilium aut possessionem in Hispania, 2, 18, 3 Ipse *habuit* graves in Caesarem contiones. VII 64, 1 Ille *imperat* reliquis civitatibus obsides VIII 17, 3 huic *interponit* auxilia levis armaturae; 3, 86, 5 quoniam *fieret* dimicandi potestas, 3, 57, 2 Huic *dat* litteras mandataque ad eum", In supremo hoc verbo facile quispiam putet primam causam esse eam, quod omnino monosyllaba in fine vix collocentur; sed minime hac lege explicatur, cur in secundum potissimum locum verbum praemissum sit.

Multi autem inveniuntur loci, qui eodem loco verbum collocatum exhibent; sed cum aliae praeterea causae valeant, diiudicari vix potest, num omnino aliquid valuerit illa ad primam vocem inclinatio. Infra nonnulla exempli causa congessi, quae verbum ad adverbialem coniunctionem applicatum exhibent, ut enclisin illam item valuisse verisimile sit, cf. VII 62, 4 „nec *dabat* suspicionem fugae quisquam. VIII 3, 4 nec *dat* ulli civitati spatium de aliena potius quam de domestica salute cogitandi 1, 51, 1 ut *fert* Gallica consuetudo." — De duobus his locis idem valet, quod supra ad 3, 57, 2 adnotavimus. Praeterea respiciendum est monosyllaba, cum ipsa forma leviora sint, eo facilius hunc vocum encliticarum locum obtinere; cf. quod Wackernagel p. 429 de „fit" verbo demonstravit. — A 63, 3 „neque *habet* a Marcello quicquam divisi."

De verbis in initio sententiae collocatis. § 13—§ 33.

§ 13. Cum § 1 de encliseos natura disputaremus, maxime respiciendum esse putavimus, quod eaedem voces modo encliticae

modo intentiores sunt. Haec lex vetustam illam regulam aliqua ex parte derogat, quae voces encliticas in initio non collocari docet. Eaedem scil. voces etiam in enuntiati initio collocantur, atque id non raro fieri solet in verbo; neque tamen de enclisi his locis cogitari potest. Immo ab omnibus, qui permulti hanc verbi collocationem tractaverunt, iudicatum est verbum plerumque propter praecipuam gravitatem et sonum ita positum esse. Qua de causa distinctionem quandam Jesperseni — p. 210, § 240 — in hac commentatione sequi possumus, qui soni duo praecipua genera distinxit: alterum, quod oppositionem quandam, alterum, quod novitatem rei significat („Gegendruck", „Neuheitsdruck"). Ex his sonis prior quidem satis notus est, et vix ullam commentationem reperire possis, in qua eius mentio non fiat. Breviter itaque exempla allaturus sum ex locis, qui huc pertinent. I 18, 8 „f a v e r e e t c u p e r e Helvetiis propter . . ., o d i s s e etiam suo nomine Caesarem et Romanos, . . . VI 25, 2 O r i t u r ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus . . . pertinet ad fines Dacorum et . . . 1, 3 1 L a u d a t Pompeius promptos atque in posterum confirmat, segniores castigat . . . A 11, 4 c a p t a e s t una hostium quadriremis, d e p r e s s a e s t altera, VII 1, 4 queruntur de Acconis morte; p o s s e hunc casum ad ipsos recidere demonstrant"; — hoc loco contrarium, quamquam non est verbis expressum, facile sentitur: quamquam adhuc laesi non sint, tamen eadem sibi accidere posse. Hanc collocationis vim is, qui stirpis β archetypum scripsit, non satis animadvertit, qui „posse" post infinitivum in usitatum locum removit. Item hoc loco sentitur tantum oppositio: VIII 38, 5 „c o g i t u r in eius supplicium contra naturam suam Caesar . . ." Omnino huius generis ad triginta locos numeravi; qui numerus iure perparvus fortasse videatur. Sed aliae collocationis formae eadem ratione interpretandae sunt.

§ 14. In nostra Germanorum lingua non raro verbum in initio enuntiati invenitur, si vis ei inest concessiva; cf. Erdmann, Grundzüge der deutschen Syntax, Stuttgart 1886, p. 189 et p. 146: „I s t ' s gleich Nacht, so leuchtet unser Recht; S i n d auch die alten Bücher nicht zur Hand, sie sind in unsre Herzen eingeschrieben." Idem in Lingua Latina repperit P. Dettweiler, Festschr. der 38. Versammlung deutsch. Philol. u. Schulmänner, Gießen 1885,

p. 84 sqq. (D. ex Ciceronis scriptis exempla collegit;) — qui huius collocationis hanc esse causam existimat p. 95, quod verbum totius enuntiati gravissima vox sit. Sed accuratius hanc gravitatem definire possumus. Oritur enim ex contrario quodam, cum enuntiatum concessivum alteri enuntiato semper oppositum sit; atque his locis, quos infra allaturus sum, verbum ipsum oppositum est. Id quod facile probabis, si hunc locum respexeris, quo utrumque contrarium eadem collocatione insignitum est: VII 4, 2 sq. „prohibetur a Gabannitione, patruo suo, reliquisque . . . expellitur ex oppido Gergovia; non desistit tamen . . ." Huius generis circa triginta numeravi locos, ex quibus exempli causa nonnullos propositurus sum: V 40, 1 „Mittuntur ad Caesarem confestim . . . litterae . . . obsessis viis missi intercipiuntur. 1, 2, 2 sqq Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primo M. Marcellus . . . Hi omnes convicio L. Lentuli imperatoris correpti exagitabantur. 1, 3, 6 sqq. Pollicetur L. Piso censor sese iturum ad Caesarem item . . . Dicuntur etiam ab nonnullis sententiae, ut legati ad Caesarem mittantur, qui . . . Omnibus his resistitur . . . 1, 50, 1 Conatus est Caesar reficere pontes, sed nec magnitudo fluminis permittebat neque . . . VIII 48, 10 Scio Caesarem singulorum annorum singulos commentarios confecisse; quod ego non existimavi mihi esse faciendum, . . ." Singulares quidam loci addendi sunt: 2, 8, 2 „Patebat haec quoque versus pedes XXX, sed parietum crassitudo pedes V." Hoc loco in verbo solo totum contrarium positum non est, quippe quod numero magna ex parte contineatur, sed praeter ipsam vim concessivam reliquorum locorum similitudo hic valuit; cf. etiam: 2, 24, 4 „Abest derecto itinere . . . paulo amplius milibus III. Sed in hoc itinere est fons . . ." Etiam verbum auxiliare et substantivum ita collocatum invenitur compluribus locis. Sed respiciendum est verbum auxiliare eam notionem et vim vix habere, ut ipsum per se contrarium efficere possit; praedicati nomen quod vocatur multo magis contrarium est. Sed his locis item analogia inprimis valuit; cf. exempli gratia: VII 37, 4 „Esse nonnullo se Caesaris beneficio adfectum, sic tamen, ut . . . 1, 57, 1 Erat multo inferior numero navium Brutus; sed electos . . . classi attribuerat," 2, 30, 3 sqq. Erant sententiae, quae . . . Erant, qui censerent . . . Curio utrumque improbans consilium . . ."

§ 15. Illam huius collocationis explicationem, quam superiore § ineunte scripsimus, rectam esse, inde potissimum perspicitur, quod verbum eius quoque enuntiati, quod concessivo respondet, saepius in initio enuntiati positum est. His enim locis eadem illa oppositio valet. Singulare huiusmodi exemplum (VII 4, 3 „n o n d e s i s t i t" . . .) in § 14. iam attulimus. Neque tamen minus facile his locis collocationis ratio perspicitur: 1, 64, 6 „Pauci ex his militibus ablati flumine ab equitatu excipiuntur ac sublevantur; i n t e r i t tamen nemo. 3, 18, 5 Ab iis Caesar haec facta cognovit, qui sermoni interfuerunt. C o n a t u s tamen nihilo minus est aliis rationibus per conloquia de pace agere. 3, 19, 6 quae (scil. tela) ille obtectus armis militum, vitavit; v u l n e r a n t u r tamen complures, 1, 81, 5 C o n a t u r tamen eos vallo fossaque circummunire, ut . . . VIII 41, 3 Oppidani enim loco superiore decurrunt et eminus sine periculo proeliantur . . . n o n d e t e r r e n t u r tamen milites nostri vineas proferre . . . A 70, 2 Caesar respondit se fore aequissimum Pharnaci . . . M o n u i t autem, ut solebat, mitibus verbis legatos, ne . . ."

§ 16. Accedamus ad alterum soni genus, quod ex novitate quadam oritur. Hoc quoque satis notum est; sed accuratius nonnulla definienda mihi videntur. Apud Caesarem cum maiore novitatis sono ad sententiae initium accedunt haec verba, quae rem inexpectatam significant. Ea quae superioribus paragraphis consideravimus verba, ea fere, quae contra exspectationem evenerant, afferebant. Unde intellegitur, quanta necessitudine hi oppositionis et novitatis soni inter se coniuncti sint, cum ipsum novum notiori et solito semper contrarium sit; cf. Jespersen, p. 210, § 220. Sed exempla consideremus: VI 39, 4 „r e d i s s e primo legiones credunt, quas longius discessisse ex captivis cognoverant; 3, 83, 2 P o s t u l a v i t etiam Afranium proditionis exercitus Acutius Rufus apud Pompeium. VI 4, 1 Conantibus, prius quam id effici posset, a d e s s e Romanos nuntiatur"; — Hunc locum ea de causa huc afferre licet, quod absolutae quodammodo ab reliqua sententia infinitivi constructiones saepius inveniuntur. cf. § 34 a. Idem de his locis dicere licet: 3, 36, 1 „nuntiatum est a d e s s e Scipionem magna opinione et fama omnium; A 54, 1 Interim nuntiatum est Laterensi v i v e r e Cassium." Complures qui huc pertinent loci hanc habent rationem, ut verbum non

afferat, sed indicat tantum rem inauditam[28]); itaque si eam vim verbi, quae collocatione expressa est hoc loco: I 18, 10 „Reperiebat etiam in quaerendo Caesar . . . initium eius fugae factum a Dumnorige . . ." nostra lingua exprimere volumus, ita fere nobis dicendum est: „Im Laufe der Untersuchung machte Caesar noch die überraschende Entdeckung . . ." Simillima sunt haec: 3, 45, 6 „Dicitur" (Es heißt sogar . . .) „eo tempore glorians apud suos Pompeius dixisse: non recusare se, quin nullius usus imperator existimaretur, si . . . I 32, 2 Animadvertit Caesar unos Sequanos nihil earum rerum, facere, quas . . ." Confer praeterea: 1, 48, 1 „Accidit . . ." et 1, 51, 1 „Nuntiatur . . ." Ipsa causa huius rei ex universa cogitatione, de qua in prooemio p. 7. nobis expositum est, satis perspici posse mihi videtur; cum enim haec cogitatio in unaquaque voce totius sententiae valeat, vix mirandum mihi videtur, quod verbum, ex quo pendet et quo indicatur notabilis accusativus cum infinitivo, maiore sono pronuntiatur et conspicuo quodam loco ponitur. Eodem modo facile hic locus explicatur, ubi non infinitivo, sed enuntiato relativo res nova expressa est: I 52, 5 „Reperti sunt complures nostri milites, qui in phalanga insilirent et scuta . . revellerent et desuper vulnerarent."

Sed omnino latius patuisse videtur haec ratio, qua in initio sententiae collocantur voces, quae res graviores indicant; id quod ex huiusmodi exemplis concludas: VIII 10, 3 „Accidebat autem cotidianis pabulationibus . . ." ut . . . pabulatores circumvenirentur, quae res . . . stultas cogitationes incitat barbarorum VII 63, 4 Petunt a Vercingetorige Haedui, ut ad se veniat rationesque belli gerendi communicet."

§ 17. In eodem novitatis sono magna ex parte posita est haec verbi in initio collocatio, quae in depingendis insignioribus factis apud Caesarem invenitur. Kühnast, Die Hauptpunkte der livianischen Syntax. Berl. 1872. p. 313. iam scripsit apud Livium verbum in initio collocari, cum narratio describendo latius fusa esset. Sed ratio multo rectior est, quam exempla, quibus Kühnast usus est. Apud Caesarem haec res mihi videtur clarius percipi

[28]) cf. ad hanc rem id quod Schmalz, Synt. p. 645 de Plinio maiore affert: verbum illum dicendi saepius in initio positum exhibere, ubi mirabilia afferat.

posse. Hic nonnulli loci afferendi sunt, quibus ipsum factum insigne et notabile in singulis etiam momentis suis intenditur. Ita V 44, 7 sqq. duorum centurionum certamen describitur hoc modo: „Transfigitur scutum Pulloni et verutum in balteo defigitur. Avertit hic casus vaginam et . . . Succurrit inimicus illi Vorenus et . . ." Simillime VI 38, 2 describitur, quomodo centurio per summam virtutem emoriatur: „Hic diffisus suae atque omnium saluti inermis ex tabernaculo prodit; videt imminere hostes atque . . . capit arma a proximis . . . Consequuntur hunc centuriones . . . Relinquit animus Sextium gravibus acceptis vulneribus"; Similia sunt: V 31, 1 sqq. „Consurgitur ex consilio; comprehendunt utrumque et orant, ne sua . . . . . superat sententia Sabini. Pronuntiatur prima luce ituros. Consumitur vigiliis reliqua pars noctis"; Hoc supremo loco alia huius collocationis causa praevalet, de qua infra, § 25, explicaturi sumus. Descriptio enim per se nobis, qui legimus commentarios, signum quidem huius collocationis est, sed ipsa causa esse non potest, si illius, qui scripsit, animum respicimus. Quamquam enim consulto haec facta Caesar descripsit, tamen, quin de singulorum verborum collocatione sibi conscius non fuerit, omnino dubitari non potest. Nam huius rei causae multo altius in anima sitae sunt, quam quo conscientia fere pergit; unde haec animae pars nomen accepit, „Unterbewußtsein". In hac animae parte ille oppositionis et novitatis sonus fundatus est; quam ob rem ad hos tamquam ad supremas causas verbi collocationes reducere potuimus.

§ 18. Sed deinceps ad aliam commentationis partem venimus, qua ad illas causas non iam recurrere poterimus; ex ipsis verbis et rebus gravitatis verborum aut signa aut causae nobis reperienda sunt. Hac paragrapho locos quosdam enumero magis absolutionis quam explicationis causa, cum satis mihi constare videatur imperativum itemque verbum interrogativum in initio sententiae poni solere. Causa huius collocationis est minime ambigua, cum verbum his locis tamquam summa totius enuntiati sit; cf. W. Wundt, Völkerpsychologie I 2², p. 369 sq.: I 13, 4 „reminisceretur, IV 25, 3 Desilite, VI 8, 4 praestate, VII 20, 8 audite, VII 77, 9 Nolite, ibid. 16. respicite, VIII 52, 4 discederet, 1, 5, 3 dent, 1, 9, 5 Proficiscatur, discedant, 1, 7, 5 darent, 3, 17, 4 remitterent, 3, 19, 7 Desinite, 3, 33, 1 properaret, 3, 82, 5 praestaret, 3, 87, 2 Noli, 3, 91, 2 Sequi-

mini, 3, 94, 6 Tuemini, defendite, 1, 71, 2 ne dubitaret, 3, 64, 4 Nolite, 2, 39, 3 Videtisne, 3, 19, 2 liceretne, 3, 71, 4 solerentne, 3, 82, 5 oporteretne." Hanc de imperativo sententiam, quam supra ut satis probatam secuti sumus, nuper Elisa Richter refutare conata est p. 60 sqq. In primis imperativum, etiamsi in sententiae initio positus sit, nihilo magis intentum esse putat; quod inde coniecit, quod aliis locis in medio aut exeunti enuntiatio scriptus invenitur. Richter in hac ratiocinatione neglexit diversitatem illam rationum, quae in his rebus valent; cf. quae in prooemio p. 8 exposita sunt. Praeterea exempla, quae affert, maxima ex parte facilem habent aliam interpretationem; velut in legibus imperativi ea de causa postpositi sunt, quod reliqua legum praecepta graviora esse solent quam imperativi vel prohibitivi, qui per se iam exspectantur; idem de Catonis libro dici potest, qui est de re rustica.

§ 19. Schmalz, Synt. p. 646, scripsit verbum auxiliare in initio sententiae poni, cum confirmare aliquis velit rem re vera ita se habere, ut dicat. Sed saepius etiam reliqua verba hoc modo apud Caesarem collocata inveniuntur in affirmationibus; velut: I 31, 11 „F u t u r u m e s s e paucis annis, uti omnes ex Galliae finibus pellerentur atque omnes Germani Rhenum transirent. A 24, 4 . . . Caesar ipse commotus celeriter, si illa sentiret, f o r e eum secum adfirmans . . dimisit.[29]) VI 41, 2 a d e s s e cum incolumi Caesarem exercitu.[29]) V 41, 6 l i c e r e illis per se incolumibus ex hibernis discedere . . . V 41, 5 e r r a r e eos dicunt, si quicquam . . . sperent, . . . VII 9, 2 D a t u r u m se operam, ne . . . absit. 3, 91, 3 F a c i a m, inquit, hodie, imperator, ut aut vivo mihi aut mortuo gratias agas." De causa huius collocationis vix quisquam ambigat, cum verbum, quo res affirmatur, ex eius qui loquitur intentione et consilio maximam habeat gravitatem.

§ 20. Eadem animi intentio his locis plurimum valet ad collocationem verbi: V 58, 6 „C o m p r o b a t hominis consilium fortuna, . . . VI 8, 3 H a b e t i s, inquit, milites, quam petistis facultatem. VII 66, 3 v e n i s s e tempus victoriae demonstrat.[29]) 1, 70, 3 C o n f e c i t prior iter Caesar.". Res, quae his verbis afferuntur, magna animi intentione exspectatae sunt; ea de causa

---

[29]) Etiam hoc loco infinitivus ab reliqua sententia nescio quomodo absolutus est. cf. § 34 a.

etiam magis intenduntur. Confer praeterea hos locos: V 54, 4 „esse . . „ VII 77, 11 adpropinquare . . .“

§ 21. Sed interdum hanc verbi gravitatem non ita ex animi et rerum condicione concludere possumus, quam ipsa lingua expressam videmus. Velut saepius ea de causa duo verba idem fere significantia adhibita sunt: II 15, 5 „increpitare atque incusare reliquos Belgas, qui . . . V 22, 5 interdicit atque imperat Cassivellauno, ne . . . . V 27, 7 Monere, orare Titurium pro hospitio, ut . . . VIII 12, 6 Inflantur atque incitantur hostium animi secundo proelio, . . . 2, 32, 7 Desertos enim se ac proditos a vobis dicunt . . . 3, 73, 5 expulisse ac superasse pugnantes.“ Eadem de causa ante infinitivum collocata sunt haec verba: VIII 22, 2 „Scire atque intellegere . . . 1, 64, 3 posse et audere.“

§ 22. Quae bis nequantur, in lingua Latina fortius affirmari constat; in hac re vis figurae illius rhetoricae posita est, quae λιτότης vocatur. Qua de causa mirari vix poteris, quod haec figura saepius in sententiae initio invenitur: I 42, 2 „Non respuit condicionem Caesar iamque . . . VIII 13, 1 Non intermittunt interim cotidiana proelia in . . . 1, 10, 4 non intermissuros consules Pompeiumque dilectus. 2, 41, 3 Non deest negotio Curio . . . A 65, 3 Non excessisse enim Ponto Pharnacem . . .“ hoc supremo loco etiam illa lex valere videtur, de qua § 45 c scripturi sumus, applicationis scil. verbi ad adverbium.

§ 23. Polaschek l. a. demonstrare conatus est supremam collocationis verborum legem esse arbitrium et voluntatem eius, qui loquitur; atque id hac sententia P. scripsisse videtur: ipsas collocationis causas investigari vix posse. Huic iudicio sine dubio aliquid veri inest, etsi non tantum momentum habere haec res videtur quantum P. arbitratur. Interdum enim fit, ut sensu magis quam certa ratione nobis in verborum collocatione iudicandum sit. Sed sensum, quantum potest, in hac commentatione, certis finibus oportet circumscribamus. In primis hoc valet in interpretandis his locis, quos nunc allaturus sum. Ad narrandas res gestas scriptores plerumque alio consilio accedunt atque ad orationes vel nuntios referendos. Nam cum illas dicendo tamquam oculis subiciant, ex

orationibus et nuntiis sententiae magis et iudicia referenda sunt. Itaque illic ipsae res praevalent, hic verba; ut exemplum afferam: 1, 20, 2 tribuni militum de condicione colloquuntur: „o b s i d e r i se a Caesare opera munitionesque prope esse perfectas"; verbum sine dubio totius sententiae tamquam caput est, quo reliqua omnia pertinent. Simillime hi loci explicantur: 1, 8, 3 „V e l l e Pompeium se Caesari purgatum, ne . . . 1, 22, 1 v e l l e se, si sibi fiat potestas, Caesarem convenire. 1, 35, 3 d i v i s u m e s s e populum Romanum in partes duas. 1, 32, 3 L a t u m ab X tribunis plebis contradicentibus inimicis . . . ut . . ." (Hoc verbum ea de causa praeterea insignitum est, quod rem graviorem indicat; cf. § 16.) 2, 39, 3 „Videtisne . . . captivorum orationem cum perfugis convenire? a b e s s e regem, exiguas esse copias missas . . . 3, 10, 3 Erat autem haec summa mandatorum: d e b e r e utrumque pertinaciae finem facere . . ."

Locorum, quos attulimus, insigne praeter illud, quod in orationibus inveniuntur, etiam hoc est, quod rerum publicarum condicionem praecipue indicant, quo fit, ut praedicatum praecipuam habeat gravitatem. Simillimi sunt hi duo loci: 1, 34, 1 sqq. „Quo cum venisset, cognoscit m i s s u m in Hispaniam a Pompeio Vibullium Rufum, ... p r o f e c t u m item Domitium ad . . . . p r a e m i s s o s etiam legatos Massilienses . . . VI 38, 2 videt i m m i n e r e hostes atque . . ."

§ 24. Hac paragrapho primum exempla propositurus sum, quibus notissima lex adhibita est, quam iam Peter-Weller, M. Tulli Ciceronis ad M. Brutum orator ed. . . . Lpz. 1838. p. 86, Zumptio auctore attulerunt. In enuntiatis enim, quae explicationem aliquam afferunt rerum, quae antecesserunt, verbum persaepe primum locum obtinet. In primis hoc invenitur in verbis, quae notionem habent causalem. Qua de re complura ex Ciceronis scriptis collegit Dettweiler p. 95 sqq. Apud Caesarem eadem collocatio admodum saepe occurrit; ipse plus triginta numeravi locos, ex quibus pauci ad rationem demonstrandam sufficiunt: I 14, 5 „C o n s u e s s e enim deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant . . . his secundiores interdum res . . . concedere. V 26, 4 uti aliqui ex nostris ad conloquium prodiret: h a b e r e sese quae de re communi dicere vellent. VII 66, 3 venisse tempus victoriae demonstrat: f u g e r e in provinciam Romanos

Galliaque excedere. VIII 52, 4 Iudicabat enim . . . causam suam facile obtineri. 3, 47, 6 . . . singulari patientia . . . ferebant. Recordabantur enim eadem se . . . perpessos . . . maximum bellum confecisse, meminerant . . . magnam se inopiam perpessos . . . victores discessisse. A 69, 2 facturum enim omnia Pharnacen, quae imperata essent." In verbo auxiliari et substantivo, quippe quae vix propriam notionem praebeant, sine dubio etiam reliquorum verborum analogia valuit. I 7, 2 „quam maximum potest militum numerum imperat, — erat omnino in Gallia ulteriore legio una, 1, 69, 1 Erat enim iter a proposito diversum, . . ."

Huiusmodi omnino fere locos Dettweiler animum advertit, quibus verbum causale enuntiati praecedentis causam affert; — unum in fine locum addidit, quo enuntiatum causale antecedit. Sed haec collocatio non satis perspici posse mihi videtur, nisi respicis non minus saepe verbum causale in initio sententiae poni, cum enuntiatum causale consecutivum antecedat; confer exempli gratia: VI 7, 5 „Augebatur auxiliorum cotidie spes. Loquitur consulto palam . . sese . . postero die prima luce castra moturum. I 47, 1 Velle se de his rebus, quae . . . agi coeptae neque perfectae essent, agere cum eo: uti aut iterum conloquio diem constitueret aut . . . aliquem ad se mitteret. VIII 19, 4 Accedunt propius interim legiones . . . Qua re cognita . . . nostri acerrime proeliantur, ne . . . victoriae gloriam communicasse cum legionibus viderentur. A 13, 2 Deerant remi: porticus, gymnasia, publica aedificia detegebant . . . A 28, 1 Mittitur a Mithridate nuntius Caesari, qui rem gestam perferret. Cognoscit ex suis eadem haec accidisse rex. Ita paene sub idem tempus et rex ad opprimendum Mithridaten proficiscitur et Caesar ad recipiendum." Huc complures quoque pertinent loci, qui verbum praemissum exhibent, quamquam non certi enuntiati causam affert, sed argumentum potius, — ut exemplum proponam, — totius orationis est; veluti hoc loco V 29, 3 Titurius fugiendi consilium probavit his argumentis: „subesse Rhenum; magno esse Germanis dolori Ariovisti mortem . . . ardere Galliam tot contumeliis acceptis . . ." ipsius consilii cum iam antea satis notum sit, vix extrema oratione mentionem facit.

Sed de causa harum collocationum quaeramus. Dettweiler

p. 105 praeter ipsam causae significationem artiorem sententiarum iuncturam valuisse putat auctore Seyffertio, qui, (Palaestra Ciceroniana, Lpz. 1875², p. 31.), hac collocatione sententias inter se conecti arbitratur. Huic sententiae accedere non possum. Cur enim reliquis locis, quibus eventus post causam affertur, non in fine enuntiati positum est? nempe hae sententiae inter se eadem necessitudine coniunctae sunt. Ab illis verbis, qui argumentando in initio collocantur, (cf. supremum quod attulimus exemplum) item abhorret haec explicatio.

Dettweiler p. 101. in loco quodam explicando obiter scripsit in verbum causale maxime omnium animos et mentes intentos esse, cum eventus vel consecutio iam antecesserit. Si porro quaesivisset, cur maxime intenti essent, repperisset ipsam reliquarum rerum causam logicum aliquem accentum habere. Ad hanc rem probandam respiciamus quaeso, quid nostris temporibus rerum scriptores maxime spectent; illud certe, ut rerum causas et eventus enucleent. Idem omni curandum est, quicunque aliquid ratione et consilio disserere vult. Omnem enim cognitionem et scientiam ita quam maxime fundatam esse oportet, cum omnino haec suprema cogitandi lex sit, ut rerum causas perspiciamus. Num igitur mirum est, si haec cogitandi ratio etiam in verborum collocatione aliquid valet? Immo mirum esset, si nihil in hac re inveniremus, quod huc spectaret. Illa igitur verba, quae causam aliquam indicant, ex hac ingenii nostri natura insignem aliquam logicam [30]) gravitatem habere mihi videntur; et hac de causa in initium sententiae procedunt, et cum antecedit eventus et cum succedit. Atque hac re in primis explanationem nostram firmari puto, quod omnes quos supra attulimus locos amplectitur.

Item ad hos locos explicatio nostra adhiberi potest, qui non rei gestae, sed sententiae praecedentis causam verbo afferunt: 1, 66, 3 „Postero die . . . proficiscitur. Hoc idem fit ex castris Caesaris: m i t t i t u r L. Decidius Saxa cum paucis, qui loci naturam perspiciat. A, 70, 8 tunc sibi mitteret munera ac dona . . .

---

[30]) Longe scil. abest, ut ad logicas rationes omnem linguam interpretemur. Sed res logicae aliqua ex parte in lingua expressae sunt, cum ipsae per se psychologicum, ut ita dicam, fundamentum habeant penitus in anima situm; cf. de his rebus etiam Wundt, Völkerpsychologie I. 2², p. 243.

M i s e r a t enim ei Pharnaces coronam auream." Sed unam etiam rem, si satis firmatam esse hanc nostram explicationem volumus, demonstremus oportet; nam si notio causalis praecipuum locum in cogitatione obtinet, altera ex parte item e v e n t u m similiter significari necesse est; et huiusmodi loci satis multi exstant, de quibus paragrapho insequenti dicendum erit.

§ 25. Hunc locum I 9, 1 „R e l i n q u e b a t u r una per Sequanos via, qua . . ." Germanice vertere possumus ita: „Es blieb also übrig" . . . Similiter hunc locum: I 18, 2 „Quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat. D i c i t liberius atque audacius." „Er spricht jetzt freier . . ." Idem fere hoc loco fieri potest: V 31, 3 „Tandem dat Cotta permotus manus: s u p e r a t sententia Sabini. P r o n u n t i a t u r prima luce ituros." „Es siegt also die Ansicht . . . Daher wird bekanntgegeben . . ." Ex his locis dilucide iam cognoscitur verbum praepositum eventum indicare, qui ex rebus antecedentibus tamquam ex causa eveniat. Idem plus 60 locis invenitur; ex quibus complures exempli gratia propositurus sum: V 46, 2 „nuntium . . . ad M. Crassum mittit, . . . iubet media nocte legionem proficisci celeriterque ad se venire. E x i t cum nuntio Crassus. VI 7, 5 Augebatur auxiliorum cotidie spes. L o q u i t u r consulto palam, quoniam Germani adpropinquare dicantur, sese suas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum . . . VI 35, 4 Trans Rhenum ad Germanos pervenit fama diripi Eburones atque ultro omnes ad praedam evocari. C o g u n t equitum duo milia Sugambri . . . T r a n s e u n t Rhenum . . . VII 89, 3 (post orationem scil. Vercingetorigis) M i t t u n t u r de his rebus ad Caesarem legati. VII 21, 1 (antea de oratione Vercingetorigis relatum est) C o n c l a m a t omnis multitudo et suo more armis concrepat," Cf. VII 66, 7 Conclamant, VII 38, 6 Conclamant, 1, 7, 7 Conclamant. VII, 87, 5 „Labienus . . . Caesarem per nuntios facit certiorem, quid faciendum existimet. A c c e l e r a t Caesar, ut proelio intersit. VIII 23, 1 Nocte insequenti legati responsa ad suos referunt, obsides conficiunt. C o n c u r r u n t reliquarum civitatum legati, quae Bellovacorum speculabantur eventum. 1, 5, 4 sq. . . . et de imperio Caesaris et de amplissimis viris, tribunis plebis, gravissime . . . decernitur. P r o f u g i u n t statim ex urbe tribuni plebis . . . 1, 18, 1 sq. Interim Caesari nuntiatur Sulmonenses . . . cupere ea facere, quae vellet, sed a Q. Lucretio . . . prohiberi

. . . M i t t i t eo M. Antonium cum legionis XIII. cohortibus V. A 53, 4 L. Laterensis . . . adcurrit laetus in castra militibusque vernaculis . . . gratulatur; t o l l i t u r a multitudine in tribunal, praetor appellatur. VII 88, 6 . . . desperata salute copias a munitionibus reducunt. F i t [31]) protinus hac re audita ex castris Gallorum fuga." — Fortasse miretur aliquis, quod hic post consecutionem causa denuo fere additur ablativo absoluto. Sed cum diligentius tibi proposueris, quomodo in animo enuntiatum ortum sit, reperies hanc causam additam nihil aliud esse, ac si post verbum concessivum secundo enuntiati loco „quidem" particula invenitur; nobis, qui legimus, signum est rationis concessivae, quae per se etiam sine particula valet. Nonnulli huic paragrapho adnumerandi sunt loci, qui eventum eadem verbi collocatione insignitum praebent, quamquam causae implicite magis quam explicite enumeratae sunt; velut: VI 34, 8 Caesar cum exposuerit, quam difficilis universi exercitus in Eburonum fines expeditio fuisset, rationem, qua contra hanc gentem usus sit, explicat ita: „D i m i t t i t ad finitimas civitates nuntios Caesar: omnes evocat spe praedae ad diripiendos Eburones . . ." confer etiam 1, 67, 1 „uterque idem suis renuntiat . . . D i s p u t a t u r in consilio a Petreio atque Afranio et tempus profectionis quaeritur."

Causa huius collocationis, quae superiore paragrapho admodum enucleata est, hic breviter tantum nominanda est: in eo scil. collocatio posita est, quod cogitando et considerando res gestas propter ingenii nostri naturam, ut causas, ita etiam eventum praecipue advertimus; qua de causa hae res maius quam reliquae enuntiati partes momentum habent. Haec praecipua et gravissima huius collocationis causa est. Sed tamen etiam eius, quam paragrapho insequenti considerabimus, collocationis causam huc pertinere omnino negari non potest, ordinem dico, quo cogitationes in animo inter se excipiant. Nam hae duae collocationes inter se artissime cohaerent.

§ 26. In superiore paragrapho de eo eventu disputavimus, qui ex certis causis oritur, non de eo, qui temporis tantum ordine evenit. Sed cum illud „propter hoc", ut his usitatissimis formulis utar, semper etiam sit „post hoc", vix dubitandum est, quin utrumque idem interdum effecerit. Hoc facilius et certius fortasse intel-

---

[31]) De monosyllabo cf. § 59.

legemus, si exemplis quibusdam demonstratum erit certum finem inter has collocationes constitui non posse; velut: VI 37, 4, ubi expositum est, quomodo Germani in castra Romanorum subito impetum fecissent: „Inopinantes nostri re nova perturbantur, ac vix primum impetum cohors in statione sustinet. Circumfunduntur hostes ex reliquis partibus, si quem aditum reperire possint." Incertum est, utrum hostes circumfundantur, quod cohors in statione sustinet, an statim, cum primum cum cohorte manus conseruissent alii, alii reliquos aditus petant. Similis hic locus est VII 4, 4 sq. (Vercingetorix scil.) „magnisque coactis copiis adversarios suos, a quibus paulo ante erat eiectus, expellit ex civitate. Rex ab suis appellatur. Dimittit quoque versus legationes"; Has legationes Vercingetorix sine dubio dimisit, ubi primum rex factus est; dubitare autem licet, num regni demum potestate hoc facere potuerit. Itaque cum tam fluxus inter has res finis sit, alteram item in verborum collocatione aliquid valere arbitror ita, ut res quae temporis ordine excipiant ea, quae antea scripta sunt, etiam verborum ordine illis interdum applicentur. Concedendum quidem est admodum incertam hanc collocationis legem esse; hac potissimum de causa ex superiore tamquam derivanda mihi videbatur, ut certius cognosceretur. Hoc autem locis ipsis considerandum est, ut illa tantum verba huc referamus, quae proxime res praecedentes excipiant; velut: II 2, 2 „Ipse, cum primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. Dat negotium Senonibus reliquisque Gallis, qui . . ., uti ea, quae apud eos gerantur, cognoscant . . . IV 34, 4 Secutae sunt continuos complures dies tempestates, quae . . . V 58, 5 submittit cohortes equitibus subsidio. 1, 76, 3 subsequuntur tribuni militum centurionesque. A 75, 3 Insequitur has acies hostium et clamore sublato confligitur. A 45, 4 Parabant se Vatiniani . . . parati deinceps Octaviani ex portu procedebant. Instruitur utrimque acies, . . ." Hac paragrapho ineunte demonstravimus, quam arte haec verbi collocatio cum ea, quam proxima paragrapho tractavimus, cohaereat. Causam igitur illius collocationis etiam in hac collocatione interdum valere per se probabile est; sed tamen maiore ex parte haec collocatio in aliis rebus nititur, in ordine scil. cogitationum, quae ut res vividae animum scriptoris percurrunt eo ordine, quo res ipsae gestae sunt; respicias quaeso illos, quos supra attuli locos,

uno excepto praesens historicum quod vocatur exhibere. Huiusmodi explicationes etiam in vetustioribus commentationibus inveniuntur. Quintilianus IX 4, 25 hanc rationem reiicit, quod non omnino et constanter adhibita sit. Rectius iudicavit de hac re Madvig, Lat. Sprachlehre für Schulen, Braunschweig 1844, p. 395, § 445: (Im geschichtlichen Stil ist die Zeitfolge der einzelnen Teile des Hauptsatzes und seiner Umstände besonders zu beachten.) et nostris fere diebus eandem rem intendit P. Cauer, Die Kunst des Übersetzens, Berl. [4] 1909, p. 99. Sed hi viri docti de singulis sententiae partibus, non de vocabulis locuti sunt. Nihilominus autem inde ad nostram explicationem gressus parvus ideoque non lubricus est. In his duabus collocationis legibus, quas modo tractavimus, etiam illa collocatio magna ex parte posita est, quam supra § 17. in descriptionibus repperimus. Superioribus paragraphis tractavimus collocationes, quae insigniorem aliquam vim aut logicum momentum significabant. Hac autem paragrapho ad aliud genus iam traducti sumus, quod non in rerum gravitate positum, sed ad simplicem cogitationum ordinem adaptatum est.

§ 27. Ipsam rationem collocationis, ad quam modo transgressi sumus, iam enucleavit Henricus Weil. Dilucidius fortasse expressa est his locis; verba enim, quae per ipsam notionem sententiarum conexui inserviunt, saepius in initio enuntiati inveniuntur [32]): V 6, 2 „A c c e d e b a t huc, quod . . . V 16, 4 A c c e d e b a t huc, ut . . . V 41, 4 A d d u n t etiam de Sabini morte; VII 1, 2 A d d u n t ipsi et adfingunt rumoribus Galli, . . . 3, 32, 5 A c c e d e b a n t ad haec gravissimae usurae, . . . 3, 79, 3 A c c e s s i t etiam ex improviso aliud incommodum, quod . . ." Mirum esset, si haec iuncturae lex in iis tantum verbis valeret, quae per se iam addendi notionem habeant. Sed quo signo reliquos locos internoscamus, quibus eadem de causa verbum ita positum est? Hoc loco „eodem" pronomine id significatur fortasse: VIII 37, 3 „opera undique imperat administrari. V e n i t eodem cum suis copiis postero die C. Fabius partemque oppidi sumit ad obsidendum."

---

[32]) De eadem collocatione, quatenus apud Tacitum inveniatur, cf. Andresen, de vocab. ap. Tac. collocatione. Progr. Berl. G. z. grauen Kloster 1874, p. 7.

§ 28. Certius locos infra scriptos explicabimus: II 33, 3 sq. „Celeriter . . . ignibus significatione facta ex proximis castellis eo concursum est, pugnatumque ab hostibus ita acriter est, . . . III 21, 1 . . . proelium renovarunt. Pugnatum est diu atque acriter . . . IV 26, 1 . . . hostibus adpropinquaverunt. Pugnatum est ab utrisque acriter. VIII 19, 3 constanter proeliantur. Pugnatur aliquamdiu pari contentione; VIII 28, 3 proelium committit. Confligit . . . VIII 36, 5 omnibusque aut interfectis aut captis magna praeda potiuntur. Capitur ipse eo proelio Drappes. 1, 57, 3 . . . confligunt. Pugnatum est . . . A 33, 1 reges constituit, quos Ptolomaeus testamento scripserat atque obtestatus erat populum Romanum, ne mutarentur." Quae res his locis maxime insignis sit, ex primo loco iam optime perspicitur; pugnandi enim verbum cum concurrendi artissime cohaeret ita, ut res, quae concurrendo incipiat, pugnandi voce designetur. Simillima verborum necessitudo etiam in reliquis exemplis invenitur, modo laxior modo angustior est, tam angusta interdum, ut alterum verbum priore, si rem et consilium hominum non meras litteras respicis, fere contineatur. Ipsa causa collocationis admodum perspicua est. Nam alteram „universam cogitationem" priorem ita excipere, ut res, quae utrique communes sint, transitionem efficiant, per se fere consentaneum est.

Schmalz, Synt. p. 645 hanc collocationem: ‚balineum . . . . publice praebent, praebent et hospitium' (Plin. ep. 8, 8, 6) in latinitate argentea, quae vocatur, saepius inveniri scripsit; singularis eius quam modo tractavimus collocationis forma esse videtur. Idem de ea quam Kühnast p. 313 sq. attulit collocatione valere puto. „. . . agitur. Agimus . . ." Liv. 30, 30, 9.

§ 29. Collocationes, ad quas deinceps transimus, hoc habent insigne, quod non ipsum verbum inusitate collocatur, sed alia vocabula, quibus verbum suum locum concedit. Hi quos primum allaturus sum loci maiorem praebent numerum quam gravitatem; pauca igitur exempla sufficiunt: I 42, 4 „vereri se, ne . . . . I 43, 6 Docebat etiam, quam . . . V 41, 5 Errare eos dicunt . . . 1, 9, 2 doluisse se, quod . . . 1, 87, 1 Addit etiam, ut . . . 1, 85, 4 Accidisse igitur his."[33]) Horum loco-

[33]) de duabus vocibus encliticis postpositis vide § 9 f.

rum insigne est, quod encliticae voces verbo postpositae sunt, causa: lex illa communis linguarum Indogermanicarum, ut encliticae voces secundum enuntiati locum obtineant; — cf. § 9. —. Sed respiciendum est praeterea ipsa verba, quae attulimus, uno, 1, 87, 1, excepto, secundum leges, quas supra explicavimus, maioris momenti esse.

§ 30. Cum illa ratione, qua graviora sententiae vocabula praemittuntur, altera ratio in lingua Latina certat, qua haec vocabula in finem enuntiati recedunt. Quo fit, ut in sententiis brevioribus interdum diiudicare vix possis, utrum verbum praemissum an reliqua remissa sint. His locis sine dubio posteriora graviora sunt: V 46, 4 „*Scribit* Labieno, si rei publicae commodo facere possit, . . . veniat. VI 4, 2 *adeunt* per Haeduos, IV 7, 3 „*venisse* se invitos, eiectos domo; VII 15, 1 sqq. „uno die amplius XX urbes Biturigum incenduntur . . . *Deliberatur* de Avarico in communi concilio, . . . VII 20, 8 Haec ut intellegatis . . . sincere pronuntiari, audite Romanos milites. *Producit* servos, . . ."

§ 31. Reliquum est, ut verbi substantivi vel auxiliaris nonnullas in initio enuntiati collocationes pertractemus, quae in reliquis verbis vix inveniuntur;[34]) tres partes in hac re distinguere possumus, sed fines, quibus secernuntur, admodum fluxi sunt:

a) A. Hirtius VIII Pr. 7. hac transitione utitur: „Erat autem in Caesare cum facultas atque elegantia summa scribendi, tum verissima scientia suorum consiliorum explicandorum." Caesar 3, 10, 3, ubi de nuntio ad Pompeium misso uberrime refert, hoc modo incipit: „Erat autem haec summa mandatorum": V 44, 1 Caesar, cum refert, quomodo Galli in hiberna Ciceronis irrumpere conati sint, duorum centurionum praeclare factum inserit hoc modo: „Erant in ea legione fortissimi viri, centuriones, qui . . ." V 6, 1 tamquam episodium de Dumnorigis morte narratio interiecta est, quae his verbis incipit: „Erat una cum ceteris Dumnorix

[34]) Polaschek p. 14. scripsit verbum auxiliare in initio sententiae poni ad res novas introducendas; quod ad complures quidem locos convenit, ad alios minus aptum est, velut secundum et quartum ex iis quos infra attulimus locos; qui tamen totius generis insigne dilucide expressum habent; paulum tantum mutemus illam Polaschekii interpretationem; non novitas subiecti, quod introducitur, res principalis est, sed novum et singulare rerum caput his locis incipit; sed de his infra iam videbimus.

Haeduus, . . ." VI 38, 1 sqq. castra P. Sextii Baculi centurionis fortitudine servantur, quem his verbis Caesar introduxit: „E r a t aeger in praesidio relictus P. Sextius Baculus, qui . . ." His locis dilucide huius collocationis genus expressum est. In primis narratio interrupta est his locis, et animi alio vertuntur in rem, quae magni momenti est in iis, quae postea narrantur. Singularia rerum capita hac collocatione distinguuntur, neque mero casu factum est, quod omnes fere loci, quos huic primae parti inseremus, verbum auxiliare in initio etiam capitis (Kapitel!) exhibent. Haec collocationis signa, etiamsi non semper tam dilucide expressa sunt, quam supra vidimus, tamen facile etiam in reliquis locis inveniuntur, quorum infra exempla allaturus sum. Illud certe facilem excusationem habet, quod saepius hoc caput initii intercisione insigne finem non tam certum habet, sed in rerum gestarum narrationem transit: [35]) 2, 28, 1 „E r a t in exercitu Vari Sex. Quintilius Varus, quem . . . VIII 48, 1 E r a t attributus Antonio praefectus equitum C. Volusenus Quadratus, qui . . . A 11, 1 E r a t una navis Rhodia in dextro Caesaris cornu longe ab reliquis collocata . . . VI 26, 1 E s t bos cervi figura . . . VI 27, 1 S u n t item, quae appellantur alces."

b) Eadem quae superioribus locis insignis erat intercisio in emblematibus minoribus manifesta est, quae per parenthesin fere rebus narrandis inserta sunt et eandem verbi auxiliaris collocationem exhibent. Facillime haec res in mera parenthesi perspicitur: A 2, 4 „Omnibus viis atque angiportis triplicem vallum obduxerant, — e r a t autem quadrato exstructus saxo neque minus XL pedes altitudinis habebat, — quaeque partes . . ." Similes sunt hi loci: 2, 34, 1 „E r a t vallis inter duas acies, ut supra demonstratum est, non ita magna, at difficili et arduo ascensu. Hanc uterque si adversariorum copiae transire conarentur exspectabat, . . . 3, 67, 5 . . . Pompeianos ex vallo deturbavit. E r a t obiectus portae ericius. Hic paulisper est pugnatum, cum . . ."

---

[35]) Similem enuntiati inversionem in nostra Germanorum lingua repperit W. Reichel, Sprachpsychologische Studien, Halle 1897, p. 52, unum tantum ex R. exemplis affero: (p. 54) „Es hat der Herr Abgeordnete Boenisch nun weiter als besondere Vorwürfe, die er gegen die Haltung des Blattes anzuführen habe, die Ironie und den Spott bezeichnet . . . Es hat nun . . . weiter die Art und Weise bekämpft . ."

c) Sed his parenthesibus, ut ita dicam, persaepe Caesar de rerum condicione considerationes affert, velut — ut ex planioribus locis ordiamur, — 3, 47, 1 merae bellicae artis ratiunculam in rerum contextum inseruit his verbis: „E r a t nova et inusitata belli ratio cum tot castellorum numero tantoque spatio et tantis munitionibus et toto obsidionis genere, tum . . ." Suis verbis ipse considerationem significavit his locis: 1, 73, 2: „E r a t unum iter, Ilerdam si reverti vellent, alterum si Tarraconem peterent. Haec consiliantibus iis . . . VI 5, 3 sq. His rebus constitutis, quod pro explorato habebat Ambiorigem proelio non esse contenturum, reliqua eius consilia circumspiciebat. E r a n t Menapii propinqui Eburonum finibus, perpetuis paludibus silvisque muniti, qui . . . legatos numquam miserant. Cum his esse hospitium Ambiorigi sciebat"; Praeterea huc pertinent huiusmodi loci: I 6, 1 „E r a n t omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent: unum . . . 3, 110, 1 E r a n t cum Achilla eae copiae, ut neque genere hominum neque usu rei militaris contemnendae viderentur . . . VII 73, 1 E r a t eodem tempore et materiari et frumentari et tantas munitiones fieri necesse deminutis nostris copiis . . .1, 11, 1 E r a t iniqua condicio postulare, ut Caesar Arimino excederet atque in provinciam reverteretur, ipsum et provincias et legiones alienas tenere; VI 34, 1 E r a t, ut supra demonstravimus, manus certa nulla, . . . VII 35, 1 E r a t in magnis Caesari difficultatibus res, ne maiorem aestatis partem flumine impediretur, quod . . ."

Repetamus breviter, quod hae tres collocationis species commune habeant insigne: verbum auxiliare vel substantivum in initio enuntiati positum intercisionem significat narrandarum rerum. Sed nunc etiam causam huius collocationis quaeramus. In Indorum vetustissima lingua Delbrück, V. S. p. 59, simile enuntiati initium invenit, quod nobis ex fabularum initio satis notum est, „Es war einmal . . ." De lingua Latina cf. Apul. met. IV 28 „Erant in quadam civitate rex et regina". Hac similitudine collocationes supra descriptae explicantur. Iam pridem enim illam collocationem interpretatus est Henricus Weil p. 23 sqq. In omni enim sermone facile observatur ad res notas adiungi ignotas, ut facilius is, qui audiat, rerum et cogitationum rationes perspiciat; eandem explicandi rationem H. Weil ad hanc collocationem adhibuit p. 27.: „Il arrive qu'on ne trouve rien pour préparer l'auditeur

à ce qu'on veut lui communiquer et que, ne voulant pas entrer en matière sans préparation, on commence par ce qu'il y a de plus général de plus indispensable, mais aussi de plus insignifiant, c'est-à-dire par l'idée de l'existence pure et simple ‚Il y avait un roi' *Ἔστι πόλις Ἐφύρη*." Eandem rem altius perquisivit Ph. Wegener, Untersuchungen über die Grundfragen des Sprachlebens, Halle 1885, p. 19 sqq. Ad illos autem locos, quos supra attulimus, maxime haec ratio convenit, quod novum caput his locis incipit. Accedit, quod etiam tempus verbi optime ad hanc per „expositionem", — ut hac nostrae aetatis voce utar, — explicationem convenit. Omnes enim qui huc pertinent loci nihil fere nisi imperfectum tempus exhibent. Sed respiciendum est res ipsas, quae afferuntur his sententiis, praeter rerum narrandarum summam commemorari, et ad ipsam narrationem praeparandam — ad „expositionem" nos fere dicimus — adhiberi, et huiusmodi res imperfecto afferri solent. Cum igitur totum enuntiatum institutioni illius, qui audit vel legit, inserviat, minime mirum est, quod illa verbi collocatio item atque tempus ad hanc rem adaptata est. Hac interpretatione probata facile etiam hoc intellegitur, quod in reliquis verbis haec collocatio vix invenitur; verbum scil. substantivum vel auxiliare, cum multo universiorem habeat notionem, multo aptius est ad illam „expositionem". Per analogiam huius collocationis fortasse explicandi sunt singulares hi loci: A 28, 3 „C o n s e d e r a t cum copiis rex loco . . . munito quod erat . . . A 72, 2 C i r c u m p o s i t i s u n t huic oppido magni multique intercisi vallibus colles, quorum editissimus unus . . ."

§ 32. Maior pars locorum, qui paragrapho antecedenti adnumerandi sunt, substantivum exhibet verbum; et facile in compluribus de verborum collocatione commentationibus invenias verbum substantivum, si hanc vim habeat, in initio sententiae poni solere; hoc iam in Petri et Welleri disputatione inveni p. 86. et facile usque ad nostra tempora hanc regulam traditam invenias. Schmalz de hac re affirmavit verbum substantivum in initio sententiae poni, quo meri verbi munere fungi possit; Synt. p. 646. Sed licet optime et sagacissime Schmalz de verborum collocatione iudicaverit et optimas observationes libro inseruerit, hanc sententiam valde coercendam esse puto. Verbum enim auxiliare sive copula est sive non est, tamen merum verbum est et eisdem legibus,

quibus reliqua verba, collocatur, id quod supra satis vidimus. Ita etiam in proxima paragrapho verba una lege collocata sunt; neque quidquam ad ipsam legem notio diversa valet. Praeterea inter utriusque notionis numerum non tantum interest, ut alterum ex altero genere per analogiam deducere possimus, copula enim 19 locis, verbum substantivum 31 locis invenitur. Sed in primis respiciendum puto Caesari, cum belli locos et conditiones describeret, verbum substantivum omnino saepius adhibendum fuisse. Nihilominus salvis ipsis legibus verborum collocationis facile conceditur copulae vim plerumque minorem esse quam verbi substantivi; unde facilius fortasse hoc verbum substantivum ad intentiores enuntiati locos accedit; atque enuntiati initium praecipui soni sedem esse satis probatum mihi videtur. Hoc modo illam regulam, quam supra attulimus, coercendam esse puto. In eandem sententiam locutus est Marouzeau p. 100; cf. etiam E. Kieckers p. 58.

§ 33. Etiam tempora verborum non quidem ipsas causas collocationis esse, sed tamen aliquid valere in hac re verisimillimum mihi videtur. Verba enim, quae praesens historicum exhibent, multo vivaciorem in animo scriptoris cogitationem habuisse, quam ea, quae solitum narrandi tempus, perfectum scil., praebent, per se fere consentaneum est. Qua de causa vix mirandum est, si eadem verba isdem quidem legibus, sed saepius in initio collocantur. Ex his, quos supra explicavimus locis, 177 exhibent praesens tempus; atque ex his 160 praebent praesens historicum; perfectum 25 tantum locis invenitur. Sed reticendum non est Caesarem omnino saepissime praesenti tempore in rebus narrandis uti ita, ut in posterioribus III belli Gallici libris perfectum numero vincatur; cf. Meusel, Ztsch. f. d. Gw. 48. 1894. p. 340. Idem in belli civilis commentariis inveni.

§ 34. De verbis intentioribus in medio enuntiato collocatis.

Delbrückii sententiam, qua verbum insigni sono ornatum in initio sententiae positum est, supra identidem probavimus. Sed tamen deinceps exceptionem aliquam addamus oportet. Illa lex non ita interpretanda est, ut nusquam nisi in sententiae initio haec verba ponantur. Nam satis multi loci inveniuntur, qui verbum graviore sono insignitum in medium enuntiatum praemissum exhi-

bent. Atque hos locos hac paragrapho tractandos mihi proposui. Sed tanta huius paragraphi materia est, ut complures species nobis distinguendae sint, prout aut in coli initio verbum positum est aut ea vocabulorum genera, coniunctiones et particulae, verbum antecedunt, quae per se aliter atque in sententiae initio collocari non possunt. Qua distinctione plerumque intellegitur, cur verbum gravius non primum enuntiati locum obtinuerit; atque haec summa huius distinctionis causa erat. Accedunt praeterea etiam aliae species aliis de causis notabiles, sed de his rebus infra.

a) Primum itaque coli initium advertamus, quod ibi item atque in enuntiati initio gravior esse linguae sonus solet, (cf. Klotz p. 233, qui in initio colorum saepius apud Caesarem „sese" pronomen repperit). Sed cum difficile sit, singula cola discernere apud scriptorem, qui non fere ad rhetorum praecepta verborum suorum ambitus circumscripserit, nonnullae nobis enuntiati partes in primis respiciendae sunt, quae variis accessionibus auctae colorum formam praebeant. Huc in primis pertinent participia variis additamentis aucta, quae tamquam secundaria enuntiata reliquam sententiam facile antecedunt; verbum igitur, quod haec sequitur, in coli initio positum est: cf. VI 37, 9. „Tali timore omnibus perterritis confirmatur opinio barbaris, ut ex captivo audierant, nullum esse intus praesidium, 3, 59, 3 sed freti amicitia Caesaris et stultitia ac barbara arrogantia elati despiciebant suos stipendiumque equitum fraudabant . . . VII 88, 2 Utrimque clamore sublato excipit rursus ex vallo atque omnibus munitionibus clamor." De omnibus his locis conf. etiam § 45 e. Eandem collocationis speciem complures loci praebent, qui forma tantum, non ratione paulum differunt ab iis, quos modo enumeravimus. Jahn in egregiis illis universis de verborum collocatione praeceptis N. J. 1845 p. 53 iam adnotavit infinitivi constructiones interdum per se absolutam sententiae partem esse. Itaque etiam hos locos huc referamus necesse est, qui verbum propter gravitatem quidem in mediam sententiam praemissum exhibent, sed in huiusmodi coli initio positum praebent; velut: IV 4, 4 „Illi omnia experti, cum . . . reverti se in suas sedes regionesque simulaverunt et . . . IV 15, 5 Caesar . . . discedendi potestatem fecit. Illi supplicia . . . veriti . . ., remanere se apud eum velle dixerunt. VI 35, 4 Trans Rhenum ad Germanos pervenit fama diripi Eburones

atque ultro omnes ad praedam evocari. VIII 23, 5 centurio vel insueta re permotus vel celeriter a familiaribus prohibitus Commii, c o n f i c e r e*) hominem non potuit; graviter tamen . . . percussit. 1, 50, 1 Conatus est Caesar r e f i c e r e pontes; sed . . . 3, 101, 7. nam ante id tempus fingi a legatis amicisque Caesaris arbitrabantur." Hoc loco item in coli initio verbum positum est: 1, 62, 1 „huc iam deduxerat rem, ut equites, etsi difficulter atque aegre fiebat, possent tamen atque auderent flumen transire."

b) Deinceps ad secundam huius collocationis speciem accedamus; ipsam rationem illis de toto genere adnotationibus; verbum scil. propter insignitam gravitatem praemissum est, sed cum particula interrogativa, pronomine relativo, coniunctione primus enuntiati locus occupatus esset, usque in primum initium praemitti non poterat et secundum enuntiati locum obtinuit. Ad quadraginta huiusmodi locos exscripsi, sed omnes afferre longum est; cf. haec exempla: 1, 72, 2 „Cur v u l n e r a r i pateretur optime meritos de se milites? V 40, 2 quae d e e s s e operi videbantur, perficiuntur. VI 11, 1 non alienum esse videtur de Galliae Germaniaeque moribus et, quo d i f f e r a n t hae nationes inter sese, proponere. VIII 53, 2 Quibus n o n f r a n g e b a n t u r animi inimicorum Caesaris, sed admonebantur, quo . . . VII 45, 8. in primis monet, ut c o n t i n e a n t milites, ne . . . progrediantur; A 37, 2 veritus, ne c o g n o s c e r e n t u r insidiae, suos in castra revocavit. 3, 72, 1 ut non de ratione belli cogitarent sed v i c i s s e iam sibi viderentur. A 67, 2 neque enim se debuisse iudicem esse controversiarum populi Romani, sed p a r e r e praesentibus imperiis. 1, 72, 4 quoniam talis occasio victoriae dimitteretur, etiam cum v e l l e t Caesar, sese non esse pugnaturos." cf. I 48, 3 „si v e l l e t", IV 25, 3 „nisi v u l t i s . . ."

c) Ad aliam huius collocationis formam transeamus. Saepius praeter articulum illum, quo enuntiata inter se iunguntur, adverbium etiam seu adverbiale antecedit verbum propter gravitatem praemissum. Hae voces in ipsa quidem verbi collocatione h i s l o c i s nihil valent, quippe quae sola verbi gravitate explicetur. Sed tamen non neglegenda mihi videbantur. Cum enim adverbium

---

*) celeriter Commium conficere, a familiaribus prohibitus non potuit; β.

usitatum suum ante verbum locum obtineat, etiamsi ipsum verbum praemissum sit, optime perspicitur, quam arta et efficax logica illa inter adverbium et verbum iunctura sit, in qua saepius nobis niti licebit cf. § 45. Sed exempla quaedam respiciamus: VII 54, 2 „Etsi . . . horum discessu maturari defectionem civitatis existimabat, . . VIII 12, 2 equites . . mittunt, qui primum elicerent nostros, deinde circumventos adgrederentur. VIII 15, 5 [. . . namque in acie sedere Gallos consuesse superioribus commentariis declaratum est . . .] 3, 44, 4 ne quo loco erumperent Pompeiani ac nostros post tergum adorirentur, A 33, 2 ne qua rursus nova dissensio, priusquam diurnitate confirmarentur regibus imperia, . . nasceretur." Huiusmodi ipse 20 locos numeravi; perpauci loci — 4 — inveniuntur, qui adverbium tantum vel adverbiale sine coniunctione vel simili articulo ante verbum praemissum exhibent collocatum; velut: II 30, 3 „Ubi . . . viderunt, primum inridere ex muro atque increpitare vocibus, . . ." Hoc insequenti loco participium vim habet adverbialem: 3, 79, 4 „. . . fama percrebruerat: pulsum fugere Caesarem paene omnibus copiis amissis." Cf. ad hoc exemplum etiam Jahn p. 49, qui optime adnotavit singula vocabulorum munera interdum mutari, et cum muneribus item collocationem; cf. de participio etiam § 45 e.

d) Alia solemnis huius collocationis exstat forma insignita eo, quod duo verba his locis inveniuntur inter se coniuncta vel respondentia; qua re singula verba magis elucescunt; atque haec ipsa causa est, cur alterum verbum etiam collocatione insignitum et praemissum sit. Ipsa ratio nimirum ab reliquis huius paragraphi exemplis ne minime quidem differt. Forma eo notabilior est, cum simillima vocum intentiorum collocatio iam § 5 g reperta sit; ubi ad priorem intentiorem vocem verbum auxiliare inclinatum est.[36] Sed exempla, — omnium locorum summa est 20, — respiciamus: II 12, 5 „magnitudine operum, quae neque viderant ante Galli neque audierant, . . . permoti . . . IV 2, 6 . . . importari non patiuntur quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur. V 4, 2 His adductis . . . consolatus Indutiomarum hortatusque est, uti . . . VIII

[36]) Etiam his quos infra allaturus sum locis ad verbum praemissum leviores fere voces applicari mihi videntur, sed singula proponere longum est.

34, 3 qui partim re frumentaria sublevare eos cupiebant, partim prohibere . . . non poterant, 2, 35, 1 et monere aliquid velle ac dicere videretur. 1, 85, 11 Quae tamen omnia et se tulisse patienter et esse laturum . . ."

e) Insignitas huius generis species attulimus; restat, ut reliquos locos breviter consideremus, qui singulare quidem nihil, sed totius generis insigne praebent: verbum propter gravitatem in priorem — non primum locum praemissum; confer: I 18, 9 „Si quid accidat Romanis, summam in spem . . . venire; imperio populi Romani . . . desperare. I 44, 5 non minus libenter sese recusaturum populi Romani amicitiam quam adpetierit. II 4, 5 hos posse conficere armata milia centum, pollicitos esse ex eo numero electa milia LX . . . 1, 25, 2 Repperit consules Dyrrachium profectos cum magna parte exercitus, Pompeium remanere Brundisii cum cohortibus XX; A 24, 3 At regius animus disciplinis fallacissimis eruditus, . . . flens orare contra Caesarem coepit, ne se dimitteret: A 70, 5 Itaque se magnas et graves iniurias civium Romanorum, qui . . ., quoniam in integrum restituere non posset, concedere Pharnaci. A 74, 4 Cuius aliquamdiu Caesar inridebat inanem ostentationem et eo loco militum coartationem, . . .[37])

Tantopere haec verbi intentioris in medio enuntiato collocatio valuit in lingua Latina, ut interdum etiam inter voces artius cohaerentes verbum gravius insereretur. In huiusmodi collocationibus consuetudinem aliquam — non ipsam rationem — traiectionis permultum valuisse § 2. demonstravi p. 18 atque haec res maxime respicienda est; pertinent huc hi loci: 1, 7, 4 „Pompeium, qui amissa restituisse videatur bona, etiam quae ante habuerint ademisse." 1, 49, 1 (Antea expositum est de summa necessariarum rerum inopia, qua Caesaris exercitus premebatur.) „At exercitus Afranii omnium rerum abundabat copia." Simillima collocatio invenitur: 1, 52, 3 „omnibus abundarent rebus", Confer praeterea: 2, 31, 4 „quod illis licentiam timor augeat noster, his suspicio studia deminuat.",

---

[37]) Huic capiti omnino 29 adnumeravi locos, ex quibus 12 debentur anonymo, qui de bello Alexandrino scripsit.

§ 35. De verbis in media sententia collocatis, quae levioribus vocibus suum in fine locum concesserunt.

Huic paragrapho, quae verba graviora in medium enuntiatum praemissa continet, propinquam collocationem adiungo, quae non fere verbum praemissum, sed leviora vocabula — enclitica primum afferam, — post verbum in finem sententiae remissa praebet:

a) 3, 70, 1 „quod haec praeter spem *acciderant* eius.[38]) 1, 6, 2 cognitum . . . sibi alieno esse animo in Caesarem milites neque iis posse persuaderi, uti eum defendant aut *sequantur* saltem. 1, 75, 2 Petreius vero non *deserit* sese. 2, 39, 6 Equites sequi *iubet* sese iterque accelerat, 2, 34, 4 Perterritum, inquit, hostem *vides*, Curio. 3, 45, 6 non *recusare* se, quin . . . A 11, 1 Hanc conspicati hostes non *tenuerunt* sese, A 70, 8 Id si fecisset iam, . . ." Respiciendum est huiusmodi collocationes in Caesaris de bello Gallico commentariis, qui limatius fere dicendi genus exhibent, non inveniri. Huc maxime pertinent, quae sagacissime Schmalz adnotavit: Über den Sprachgebrauch des Asinius Pollio, Festschr. z. 36. Versammlung deutsch. Philol. . . . zu Karlsruhe 1882. Qui huiusmodi collocationes a Ciceronis fere dicendi genere alienas esse scripsit; p. 100 sq.

b) Sed huic paragrapho inserendum est etiam notabilius genus collocationum. O. Behagel, Geschichte der deutschen Sprache, Straßburg 1911 [3]. p. 101. de nostra Germanorum lingua exposuit et probavit illa vocabula leviora fere esse, quae saepius commemorentur; et cum haec ratio omnino ad hominis naturam maxime pertineat, facile etiam in lingua Latina adhibere possumus; accedit, quod haec quam afferam in primis certa huius generis sollemnis species est. Consentaneum est in Caesaris commentariis hanc esse rem et quaestionem principalem, q u i d gestum sit. Res, quae afferuntur, continuo progrediuntur et mutantur, homines, qui gerunt, idem permanent; et cum iterum ac saepius in singulis commentariorum partibus commemorentur, paulo nobis usitatiora haec nomina sunt, quam ut in oculos incidere possint, nisi forte singularis quaedam causa accedat. Accedit, quod omnino Caesari perspicuitas suprema orationis lex erat, ideoque etiam eis interdum

---

[38]) de ea quae hoc loco invenitur traiectione conf. quae § 2, p. 18, exposita sunt.

locis nomina addidit, ubi facile suppleri poterant ex contextu. Huiusmodi nomina persaepe, item atque levissimae quas modo consideravimus voces, usque in ultimum enuntiati finem recedunt propter levitatem. Im primis haec res perspicitur huiusmodi locis: 2, 32, 5 „An vero in Hispania res gestas Caesaris non audistis? duos pulsos exercitus, . . . duas receptas provincias? haec acta diebus XL, quibus in conspectum adversariorum *venerit* Caesar?" Hunc locum non minus facile intellegeres, si omnino deesset nomen Caesaris. Sed etiam aliam rem hoc loco observari licet; optimo iure § 45. hunc locum inserere poteramus, ubi illos locos allaturi sumus, qui verbum ad adverbium applicatum exhibent. Duae igitur collocationis rationes hoc loco concurrunt; reliquos huiusmodi locos § 45. allaturus vel adnumeraturus sum, cum omnino multo latius pateat illa ad adverbium vel adverbiale applicatio. Sed exempli causa alios deinceps locos enumeremus, qui huc pertinent: I 16, 4 „Diem ex die *ducere* Haedui: I 47, 5 His mandavit, ut quae *diceret* Ariovistus, cognoscerent et . . . referrent. I 50, 4 Cum ex captivis *quaereret* Caesar, quam ob rem Ariovistus proelio non decertaret, hanc reperiebat causam, III 1, 1 Cum in Italiam *proficisceretur* Caesar, Ser. Galbam cum legione . . . misit",[39]) conf. de eodem nomine: IV 26, 4 Caesar, VIII 17, 1 Caesar, 1, 4, 4 Caesari, 3, 51, 1 Caesar, 3, 46, 4 Caesar, 3, 56 1 Caesar, quibus omnibus locis ultra verbum hoc nomen reiectum est. VIII 5, 2 „Caesar erumpentes eo maxime tempore acerrimas tempestates cum *subire* milites nollet, VIII 8, 3 ne maioris multitudinis species *accidere* hostibus posset," cf. VIII 5, 3 „*dicebantur* hostes"; VIII 34, 1 „quod cum *animadverterent* oppidani . . ." cf. VIII 41, 2 *posse* oppidanos . . ." 3, 33, 1 „[quos *advocaverat* Scipio] 3, 37, 4 Quorum studium alacritatemque pugnandi cum *cognovisset* Scipio, A 37, 3 . . . castraque oppido contulit. Quae dum *muniunt*

---

[39]) Hoc loco facile etiam de alia causa collocationis cogitare possis; subiectum enuntiato secundario et primario commune inter haec enuntiata positum est; complures praeterea loci exstant, qui eandem rem probare videntur, nec plane negari haec res potest. Sed tamen exstant etiam loci, velut is, qui antecedit (I 50, 4), qui post subiectum commune etiam aliam sententiae partem insertam exhibent; his locis igitur altera causa nihil valet, et mera forma fortuita est; unde concluditur hanc rem omnino, si non neglegendam, attamen haud ita magni aestimandam esse.

nostri," cf. A 75, 1 „*attulit* nostris". A 44, 4 „qui numero aegrorum *relicti erant* Brundisii, A 63, 1 . . . magnoque numero equitum et reliquorum auxiliorum *venit* ea mente Uliam, ut . . .[40])" Hos duos locos silentio huius paragraphi exemplis facile subiunxi, quamquam non hominis nomen remissum praebent; minime scil. horum nominum propria est haec collocationis ratio, etiamsi saepius in his nominibus invenitur. Omnino enim huiusmodi ad 25 locos numeravi.

De verbis, quae priorem in enuntiato locum obtinent, gravioribus vocibus in finem remissis. § 36—§ 43.

§ 36. Transeamus ad aliud collocationum genus, quod in lege plane diversa positum est. Notissimum enim est in lingua Latina verba graviora non solum in initio, sed etiam in fine enuntiati collocari.[41]) Effectus huius collocationis in primis intentio animi est; valet autem haec collocatio per insolentiam, quae omnino permagni in verborum collocatione momenti est; quod optime in adiectivis insignioribus observatur, cf. Schmalz, Synt., p. 647, quae insolentioribus locis excellunt. Atque in hac nostra commentatione etiam maioris momenti haec per insolentiam explicatio est, quod aliquo modo usitata huius legis definitio mutatur hac re. Diligentius itaque hanc rem tractemus et praeripiamus aliqua reliquis paragraphis exempla. J. A. Goerenz initium et finem sententiae per se intentiora esse docuerat, p. 283 sqq.; eadem sententia usque ad nostram aetatem valuit. Sed item atque verba intentiora praemitti quidem solent, non in sententiae initium omnes praecedunt, ita nomina etiam intentiora remittuntur quidem, sed non omnes in finem sententiae recedunt. Exempli causa pauca huc affero: I 31, 15 „Haec si enuntiata *Ariovisto* sint, 3, 18, 3 Quem . . . Pompeius interpellavit et loqui *plura* prohibuit. VII 25, 1 quod deustos pluteos turrium videbant nec facile adire *apertos* ad auxiliandum animadvertebant." Ex huiusmodi locis, qui permulti exstant, optime perspicitur non finem sententiae per se singularis soni sedem esse,

[40]) hoc loco praeterea respiciendum est adverbiale „ea mente" post verbum remissum esse propter artiorem ad sequentia relationem cf. § 47.

[41]) In Germanorum lingua idem repperit Erdmann l. a. § 214, p. 190; ut exemplum afferam: „Heute glückte dem kühnen Spieler alles; gestern geriet ihm trotz aller Anstrengung nur weniges."

sed vocabula graviora insolenter cum intentione animi post verbum poni, quod plerumque antecedunt; et cum hoc verbum extremum fere enuntiati limen sit, in finem plerumque enuntiati vocabula insigniora recedunt.[42])

Sed priusquam ipsa exempla contemplemur, anticipemus nonnulla oportet, quae ad totum genus pertinent. Quantopere haec collocatio in lingua Latina valuerit, inde perfacile intellegitur, quod graviores voces hoc modo interdum etiam dirimuntur a vocibus, quibuscum logice artius cohaereant. Respiciendum est scil. in his exemplis maxime illud, quod § 2, p. 18. de traiectionis analogia et consuetudine expositum est. Sed exempla quaedam consideremus ex singularibus his locis. VI 22, 2 „Neque quisquam agri modum certum aut fines *habet* p r o p r i o s, VIII 16, 1 ne forte . . elicere nostros in locum *conaretur* i n i q u u m, 1, 40, 5 necessaria re coactus locum *capit* s u p e r i o r e m . . ." Conferenda sunt, quae insequentibus paragraphis in solemnibus huius generis collocationibus de hac traiectione exposita sunt; cf. etiam p. 18.

Praeterea nobis leviter tangenda est haec quaestio, quaenam ratio inter duas has leges remittendi et praemittendi graviores voces intercedat. Ex ipsis locis hoc concludere licet: hanc insuetam in fine collocationem illis locis in primis adhibitam esse, qui initium sententiae alia ratione iam fixum habeant; velut pronomine relativo, coniunctione, particula, pronomine demonstrativo [43]); praeterea huc referendi sunt loci, qui aliud intentius vocabulum in initio positum habeant.[44]) De singulorum numerorum ratione infra dicendum est.

---

[42]) Minime nego in lingua Latina enuntiatorum finem similiter, atque in lingua Francogallica observare possumus, graviore spiritu fortasse pronuntiatum esse, cf. § 60; num autem in h a c verborum collocatione haec res tantum valuerit, haec longe alia quaestio est. Si omnino aliquid valuit, minoris sine dubio momenti erat, cum aliter omnino intellegi non posset, cur tamdiu verbum, — levius scil. vocabulorum genus, — in fine enuntiati collocatum sit.

[43]) conf., quae § 47. exposita sunt de locis, qui applicationis causa post verbum demonstrativum pronomen exhibent.

[44]) Non ignoro in lingua Latina multo magis quam in nostra Germanorum lingua sententias inter se conecti, et eorum enuntiatorum, quae hoc modo initium non iam fixum habeant, omnino numerum minorem esse. Sed hac re non prorsus refutatur ratiocinatio nostra. Cuius tamquam argumentum mihi visum est, cum eandem fere sententiam de lingua Graeca probatam postea viderem ab Ernesto Kieckers p. 2.

Sed satis expositum est de collocationis genere; ipsa exempla iam respiciamus; ac primum quidem ex illis nonnulla afferamus, quae non subiectum in fine positum habent:

a) VII 54, 2 „ne aut *inferre* iniuriam videretur aut *daret* timoris aliquam suspicionem. 2, 25, 6 Interim adventu longarum navium Curio *pronuntiari* onerariis navibus iubet; 3, 49, 1 inopiam sustentabat, quod celeriter se *habituros* copiam confidebant; 3, 75, 5 ut equestri proelio commisso *pellerent* omnes . . . 3, 92, 3 quod est quaedam animi incitatio atque alacritas naturaliter *innata* omnibus, A 16, 1 neque terra neque mari effugium *dabatur* victis, omniaque victoribus erant futura in incerto, A 42, 3 quae etsi *erat* tenuis, tamen in tanta provinciae desperatione erat grata, . . ." Huiusmodi 26 numeravi locos, qui omnes primum sententiae locum alia voce occupatum ideoque gravius vocabulum post verbum remissum praebent; contra vix [45]) de hoc uno loco affirmare possis vocem intentiorem remissam esse, quamquam etiam initium sententiae pateret: 2, 42, 1 „unam . . spem reliquam salutis esse arbitratus proximos colles *capere* u n i v e r s o s atque eo signa ferri iubet."

b) Deinceps enumeremus exempla, quae subiectum post verbum positum exhibent.[46]) Usitata quidem et satis nota haec lex est de subiecto remittendo; cf. J. Gantrelle, Étude . . . sur la disposition des mots dans la phrase latine. Extrait des Bulletins de l'Académie Royale de Belgique 3 ième série tome VI, Bruxelles 1883, p. 617. Mirum sine dubio iam pridem visum est, quod subiectum a primo usque ad extremum sententiae finem recedit. Ineunte autem hac § vidimus non finem enuntiati, sed insolentiam huius collocationis rem principalem esse. Ac re vera inveniuntur loci, qui subiectum insigne inusitate quidem, sed ante verbum collocatum habent, velut I 31, 4 „factum esse, uti ab Arvernis Sequanisque G e r m a n i mercede arcesserentur. I 33, 4 [praesertim cum Sequanos a provincia nostra R h o d a n u s divideret] I 40, 5 . . . quos tamen aliquid u s u s a c d i s c i p l i n a, quam a nobis accepissent, sublevarent. I 40, 11 frumentum S e q u a n o s, L e u c o s, L i n g o n e s subministrare, . . ." Quid igitur causae est,

---

[45]) propter participium scil. coniunctum in initio positum.

[46]) hac una paragrapho hanc distinctionem exempli causa adhibere satis habeo, cum ad rem ipsam haud multum valeat.

cur aliis locis ultra verbum subiectum insigne recedat? Verbum usu et consuetudine, cum usitate post adverbium vel accusativum collocetur, cum his enuntiati partibus multo artiorem habet necessitudinem, quam ut facile ab iis separari possit, et hac de causa subiecta insignia etiam post verbum persaepe remittuntur; velut: 1, 64, 3 „paratos esse sese posse et audere ea transire flumen, qua *traductus* esset equitatus. 3, 94, 4 Ab his enim primum equitatus est pulsus, ab isdem *factae* caedes sagittariorum ac funditorum, III 8, 1 paucis portibus interiectis quos *tenent* ipsi, . . . VIII 28, 1 ut confligerent atque agmen morarentur, dum *consequeretur* ipse." cf. 1, 76, 3 *iurat* i p s e, 1, 85, 11 *teneat* i p s e, 2, 27, 2 *sentimus* i p s i, reliquos . . ." Omnibus qui huc pertinent locis, — 15 numeravi, — vox intentior in initium enuntiati praemitti non poterat, cum aliae voces hunc locum obtinerent.

§ 37. In proxima paragrapho saepius „ipse" pronomen post verbum allatum esse vidimus. Huiusmodi solemnes collocationis formae plures inveniuntur. W. Reichel, p. 37. exposuit negationes in nostra Germanorum lingua praecipuo sono insignitas esse; cf. de eadem re Erdmann p. 190, § 214. Idem in lingua Latina invenitur, quod compluribus ex rebus facile cognoscitur; facile in lingua Latina negationes in initium sententiae progrediuntur, cf. Raspe p. 73; Antibarb. II, p. 142, Jahn-Kroll, ad Cic. Brut. 270; apud Caesarem idem invenitur his locis: I 1, 3 minime, I 39, 6 non, I 40, 12 nihil, I 44, 3 non; I 44, 9; V 7, 7; VII 70, 6; VII 20, 2; VIII 41, 5; A 19, 3; VII 1, 8. Gravissimum autem huius rei argumentum mihi videtur esse illa quam hac paragrapho tractamus collocatio; saepius enim negationes in fine sententiae post verbum collocatae sunt eadem scil. quam proxima paragrapho explicavimus ratione; cf. exempli gratia: I, 18, 3 „propterea quod illo licente contra liceri *audeat* nemo. II 33, 6 Postridie eius diei refractis portis, cum iam *defenderet* nemo,[47]) cf.: V, 43, 4 *decederet* nemo, V, 51, 5 *resisteret* nemo, 1, 68, 3 *recusabat* nemo, 1, 81, 4 *emittitur* nemo, 3, 20, 4 *reperiebatur* nemo, II 35, 4 quod ante id tempus accidit nulli. cf.: 1, 70, 2 auxilium *ferri* nulla ratione poterat, III 4, 4 quarum rerum a nostris propter paucitatem *fieri* nihil poterat, 3, 22, 2 *proficere*

---

[47]) Hanc vocem saepius in prisca latinitate postpositam repperit, sed subiectis remissis adnumeravit Holtze, Syntaxis priscorum script. lat. Lips. 1861, II, 218.

nihil posset, III 22, 3 neque adhuc hominum memoria *repertus est* quisquam, cf. IV 20, 3 *adit* quisquam, VIII 52, 3 *credidit* quicquam, A 70, 3 *facere* quicquam, 3, 87, 6 *fuit* quisquam, A 15, 8 *fuit* quisquam, 1, 6, 7 quod ante id tempus *accidit* numquam. A 50, 3 nec provinciae *datur* ulla requies." Sed tres tantum exstant loci, qui negationem hoc modo in finem enuntiati remissam exhibent, quamquam facile in initio collocari poterat; cf. § 36, p. 70.

Quantum haec collocatio in lingua Latina patuerit, inde colligas, quod interdum etiam dirimuntur hac collocatione negationes a vocibus, quibuscum artius cohaerent, ut traiectionis figura oriatur; sed conf., quae de hac re § 2, p. 18. exposuimus; exempli gratia respicias: VI 35, 3 „manus *erat* nulla, 3, 19, 7 pax *esse* nulla potest. VII 20, 11 nec iam vires *sufficere* cuiusquam . . ."

§ 38. Ad aliam sollemnem huius collocationis formam transeamus: nomina et adiectiva numeralia persaepe eadem collocationis ratione insignita sunt; velut: IV 12, 3 „In eo proelio ex equitibus nostris *interficiuntur* IIII et LXX, . . . VI 13, 8 His autem omnibus druidibus *praest* unus, 3, 89, 1 et huic sic *adiunxerat* octavam, A 14, 3 in fronte *collocant* XXII, reliquas subsidiarias in secundo ordine constituunt."

In hac paragrapho praecipue intellegitur persaepe non ita singula vocabula in collocationibus valere quam vocabulorum iuncturas; cum nomine enim aut adiectivo numerali persaepe nomina aut adverbia artius cohaerent et una cum illis in finem enuntiati recedunt; conf.: I 25, 5 „quod mons *aberat* circiter mille passus, . . . II 6, 1 Ab his castris oppidum Remorum nomine Bibrax *aberat* milia passuum VIII. V 13, 1 Hoc latus *tenet* circiter milia passuum D. VII 65, 1 Ad hos omnes casus *provisa erant* praesidia cohortium duarum et XX, VIII 2, 1 eique *adiungit* legionem XI., VIII 20, 1 quae non longius ab ea caede *abesse* plus minus VIII milibus dicebantur, 3, 7, 2 cum Caesar omnino XII naves longas praesidio duxisset, in quibus *erant* constratae IIII." Omnino 51 numeravi locos, qui huic paragrapho inseri possunt; in quibus 5 tantum eiusmodi sunt, ut numeri etiam in initio sententiae poni possint; cf. § 36, p. 70.

Praeterea autem non minus 20 inveniuntur loci, qui traiectionis formam exhibent hac ratione effectum, multum adiuvantibus aliis rebus, de quibus § 2, p. 18. satis expositum est. Exempla

nonnulla addamus: I 31, 3 „Galliae totius factiones *esse* duas; VI 13, 1 . . . eorum hominum, qui aliquo sunt numero atque honore, genera *sunt* duo; II 33, 7 Ab iis, qui emerant, capitum numerus ad eum *relatus est* milium LIII. 1, 61, 4 Id erat oppidum positum ad Hiberum miliaque passuum a castris *aberat* XXX."

§ 39. Adiectiva, quae ex nominibus propriis deducta sunt, in lingua Latina singulari collocatione utuntur; nam post substantivum plerumque inveniuntur; conf. Schmalz Synt. p. 647 Similiter nomen proprium, id quod Raspe p 10. iam observavit, loco excellit, cum saepius post verbum recedat eadem scil. ratione quam inde a § 36. tractamus. Ipsa exempla respiciamus: I 1, 1 „quarum unam *incolunt* Belgae, aliam Aquitani, I 37, 3 his *praeesse* Nasuam et Cimberium fratres. 1, 56, 3 quibus *praeerat* D. Brutus. I 53, 3 In his *fuit* Ariovistus, VIII 12, 3 Cuius mali sors *incidit* Remis, 2, 4, 5 Dextra pars *attribuitur* Massiliensibus, sinistra Nasidio. 3, 22, 3 Caelius profectus, ut dictitabat, ad Caesarem *pervenit* Thurios. 3, 78, 1 Caesari ad saucios deponendos. . . . necesse erat *adire* Apolloniam. A 66, 5 ne aut regni hereditas Ariarathen sollicitaret aut heres regni *terreret* Ariobarzanen, VII 62, 10 Hoc negotio confecto Labienus *revertitur* Agedincum, VI 10 1 sqq. Mosa *profluit* ex monte Vosego, . . . Rhenus autem *oritur* ex Lepontiis, V 26, 1 initium repentini tumultus ac defectionis *ortum est* ab Ambiorige et Catuvolco; VII 10, 3 Itaque cohortatus Haeduos de supportando commeatu *praemittit* ad Boios, 3, 21, 4 Ille ignominia et dolore permotus palam se *proficisci* ad Caesarem simulavit; clam . . ."

Huc etiam sollemnis collocationis forma referenda est, qua nomina afferuntur post verba: I 12, 4 „Is pagus *appellabatur* Tigurinus; III 1, 4 in vico Veragrorum, qui *appellatur* Octodurus, IV 10, 1 sq. parte quadam ex Rheno recepta, quae *appellatur* Vacalus, V 13, 3 insula, quae *appellatur* Mona;" Sed satis multos locos attulisse mihi videor ad rationem demonstrandam; omnium locorum summa maxima est, circiter 140 numeravi. Horum locorum vix decima pars eam praebet sententiae structuram, — cf. § 36, p. 70, — ut nomen proprium facile in initium praemitti possit; quo nostra ratiocinatio, cf. p. 70, optime probatur. His autem numeris non continentur perpauci loci, qui nomen proprium simul a voce, quacum artius cohaeret, diremptum exhibent; cf. IV 10, 1

„Mosa . . . insulam *efficit* Batavorum A 35, 3 neque enim aliud ius *esse* Cappadociae atque Armeniae, VIII 32, 1 in finibus *consistunt* *) Cadurcorum." Quomodo explicandae sint huiusmodi traiectiones, § 2. summatim expositum est cf. p. 18.

§ 40. Cum Caesar de rebus bellicis fere scripserit, minime mirum est, quod his qui sequuntur locis Romanorum et hostium vel similis oppositio in collocatione verborum aliquid valuit, etiamsi non nominibus propriis adversarii significati sunt; insigniorem enim post verbum locum hae voces obtinent; cf. VIII 16, 1 „ne forte in eodem loco subsistere hostis atque *elicere* nostros in locum conaretur iniquum, VII 36, 5 quem si *tenerent* nostri, et aquae magna parte et pabulatione libera *prohibituri* hostes videbantur. A 38, 4 qui neque aliter utilis esse poterat et multum numero *anteibat* nostrum equitatum." Similis oppositio valet hoc loco: VIII 27, 2 „si eodem tempore coactus esset et . . . externum sustinere hostem et *respicere ac timere* oppidanos, . . ."

§ 41. Recte in vetustioribus quibusdam commentationibus, velut Jahnii p. 50, scriptum est adverbia intentiora saepius post verbum collocari. Sed etiam in hac re idem, quod supra identidem invenimus, valet. Adverbium, cum gravitate excellit, praemitti solet, (velut III 14, 1 „ubi intellexit frustra tantum laborem sumi . . ."); illis praecipue locis post verbum collocatum invenitur, quibus initium aliis vocabulis iam concessum est. Ex 24 quos exscripsi locis 3 tantum adverbium etiam in primum sententiae locum praemitti poterat. Sed exemplis nonnullis ipsam rationem illustremus: I 40, 15 „Huic legioni Caesar et *indulserat* praecipue et propter virtutem *confidebat* maxime. III 9, 1 quod ipse aberat longius", cf. 1, 78, 4 „*aberat* longius"; (eadem vocabula eodem ordine proferuntur his locis: VII 63, 7; 3, 42, 4; 3, 49, 5.) III 13, 9 Accedebat ut . . . et tempestatem *ferrent* facilius et in vadis *consisterent* tutius, 1, 1, 4 si cunctetur atque *agat* lenius, 3, 80, 5 docuit, quantum usum haberet . . . et id *fieri* celeriter, I 40, 10 Qui suum timorem in rei frumentariae simulationem angustiasque itineris conferrent, *facere* arroganter, cum . . ."

§ 42. Supra complura exempla allata sunt, quae comparativum graviorem post verbum remissum exhibent; eadem collocatio

---

*) consistunt in agris Cadurcorum $\varsigma\beta$.

in comparativo et superlativo saepius observatur, ut de sollemni forma huius collocationum generis loqui possis; confer exempli gratia: 1, 8, 3 „Semper se rei publicae commoda privatis necessitudinibus *habuisse* potiora. VI 13, 6 Haec poena apud eos *est* gravissima. 3, 1, 3 Hoc . . . ad debitorum tuendam existimationem *esse* aptissimum existimavit. 3, 30, 4 Sed Caesari circuitu maiore iter *erat* longius, A 23, 1 quo possent *esse* firmiores, I 7, 3 legatos ad eum *mittunt* nobilissimos civitatis." Horum locorum summa est 22, quo ex numero 2 tantum loci comparativum vel superlativum facile primo enuntiati loco exhibere poterant; hoc optime congruit cum conclusione nostra § 36. p. 70; qua illis fere locis in fine collocari intentiora vocabula coniecimus, quibus initium obtinere non possent.

Quantopere autem comparativi et superlativi extremum sententiae locum appetiverint, inde fortasse colligas, quod praeter illos locos, quorum numerum modo proposuimus, non minus decem inveniuntur, qui superlativos remissos simul a voce diremptos praebent, quacum logice artius cohaereant; de traiectionis figura, quae hoc modo oritur cf. § 2, p. 18. Exempli gratia breviter hos consideremus locos: V 14, 1 „Ex his omnibus longe *sunt* humanissimi, qui Cantium incolunt, 3, 67, 3 ipse diverso itinere quam *potuit* occultissime reliquas cohortes . . . eduxit."

§ 43. Supra — § 34. — demonstravimus verba graviora saepius in mediam sententiam praemitti; eadem verbi collocatio, — si meram formam respicis, — illis locis invenitur, qui vocabula graviora remissa exhibent. Qua de causa evenit interdum, ut utrumque vocabulum et praemissum et remissum intentius sit, ita ut difficillime disceptetur, utrum gravius sit. Sed omnino nihil refert hanc rem diiudicare, cum facile in eadem sententia complures voces maiorem habeant sonum, neque quidquam obstet, cur non utraque vox sono et collocatione simul excellat. Sed exemplis res magis probatur quam disputando: V 43, 4 „sed paene ne r e s p i c e r e t quidem q u i s q u a m, VIII 28, 4 cum s u b s e q u i l e g i o n e s meminissent, VIII 41, 2 Hoc fonte prohiberi posse oppidanos cum o p t a r e n t r e l i q u i, Caesar unus videret, . . . 3, 82, 2 ut, quidquid intercederet temporis, ad m o r a r i r e d i t u m i n I t a l i a m videretur, 3, 75, 1 impedimenta omnia silentio prima nocte ex castris Apolloniam praemisit ac c o n q u i e s c e r e a n t e

iter confectum vetuit. A 33, 4 si permanerent in fide reges." [48])

§ 44. De adverbialibus post verbum allatis.

Hac paragrapho adverbialia, ablativos scil. et nomina cum praepositione coniuncta tractanda mihi proposui. Ac mirum fortasse videatur, quod adverbialia ab adverbiis separavi. Neque tamen mero arbitrio feci. Adverbia, quae post verbum collocantur, omnia intentiora sunt et legi, quam modo tractavimus, parent. Eiusdem generis in adverbialibus permultae quidem collocationes observantur; sed praeterea satis multi loci inveniuntur, qui adverbialia post verbum exhibent collocata, quamquam, — vel potius quod — leviora sunt quam ipsum verbum. Haec res in adverbiis — fortuito dixeris, licet, — omnino non observatur; sed cum singularem haec res explicationem habeat, qua etiam illa intentioris adverbialis collocatio tangitur, adverbialia separatim tractanda esse putabam.

a) Praeceptum enim Jahnii hic adhibendum est, qui p. 48 sq. censuit in verborum collocatione explicanda non singula vocabula tantum, sed etiam vocabulorum iuncturas respiciendas esse. In his enim artioribus iuncturis item atque in universo enuntiato vocabulorum ordo mutari potest. Huiusmodi ratio inter verbum et adverbium vel adverbiale intercedit, quae simillima est adiectivi attributi cum substantivo iuncturae. Item atque pronomen possessivum post substantivum plerumque collocatur, cum nullius fere momenti vel potius supervacaneum sit, item, ut exemplum afferam, hunc ablativum „loco" VII 51, 1 post verbum suum collocatum invenimus: „Nostri, cum undique premerentur, XLVI centurionibus amissis *deiecti* sunt loco.*" [49]) Confer praeterea similes hos locos:

---

[48]) de subiecto in finem remisso cf. § 35 b.

[49]) Hanc attributi et adverbialis similitudinem facile longius persequi possumus. Attributa graviora eadem post nomen collocatione excellunt; idem in adverbialibus observatur. Facile igitur quispiam quaerat, cur non adverbia item hac paragrapho tractaverimus, cum eandem cum verbo habeant iuncturam eademque collocatione excellant; licebat hoc facere, non nego. Num autem quidquam hoc modo profectum esset? Haec enim, quam modo commemoravimus, ab superiorum paragraphorum ratione distingui facile, separari vix potest.

*) loco om. π.

VIII 19, 6 „hostes *concidunt* animis . . . II 21, 2 Milites non longiore oratione cohortatus, quam uti . . . neu *perturbarentur* animo . . . VI 13, 9 Hoc mortuo aut si qui *excellit* dignitate succedit aut . . .[50]) I 47, 1 velle se de his rebus, quae inter eos agi coeptae neque perfectae essent, *agere* cum eo: V 58, 6 Indutiomarus interficitur caputque eius *refertur* in castra; (cf. VIII 48, 7 *refertur* in castra, 3, 64, 1 *submittit* ex castris, A 78, 2 secum *asportaverat* in castra,) VI 27, 4 Quarum ex vestigiis cum est *animadversum* a venatoribus, quo se recipere consuerint, VII 4, 4 magnisque coactis copiis adversarios suos, a quibus paulo ante erat eiectus, *expellit* ex civitate. 1, 75, 3 Reliqui *coeunt* inter se et . . . 2, 2, 6 Crebrae etiam per Albicos eruptiones *fiebant* ex oppido ignesque aggeri et turribus inferebantur; A 65, 1 Cum in Syriam Caesar ex Aegypto venisset atque ab iis qui Roma *venerant* ad eum."

b) Deinceps ad illos locos animum advertamus, qui graviora adverbialia post verbum exhibent. Ipsa scil. gravitas inusitatae collocationis causa est, neque quidquam ad rem ipsam valet, utrum de illa quam § 36 et sqq. explicavimus lege cogites, an de simili adiectivi gravioris post substantivum collocatione. Sed exempla quaedam consideremus ex plurimis his locis: VII 20, 7 „Imperium se a Caesare per proditionem nullum desiderare, quod *habere* victoria posset, VII 77, 3 neque hos *habendos* civium loco . . . VIII 52, 3 Ibi quamquam . . . certiorque fiebat id *agi* paucorum consiliis, VII 42, 2 Impellit . . . ut levem auditionem *habeant* pro re comperta VIII 19, 5 ne, si tardius rem gessissent, victoriae gloriam *communicasse* cum legionibus viderentur; VIII 36, 1 magnae felicitatis esse arbitrabatur neminem ex caede *refugisse* in castra, VIII 43, 2 cum quid *ageretur* in locis reliquis essent suspensi, . . . 2, 21, 3 Pecunias monumentaque, quae ex fano Herculis *conlata erant* in privatam domum, *referri* in templum iubet. 3, 51, 4 alter omnia *agere* ad praescriptum, alter libere ad summam rerum consulere debet."

c) In adverbialibus praeterea latius patet collocatio, quae optime epexegeseos notione significatur. Insigne est huius collocationis, quod ipsum enuntiatum verbo concluditur; adverbiali

[50]) cf. etiam § 57, ubi de iniquo litterarum concursu expositum est; qui hoc loco item fortasse valet.

certior aliqua et angustior descriptio additur, quam nostra lingua his fere particulis „und zwar", „nämlich" afferimus; confer exempli gratia: V 55, 2 „cum se bis expertos *dicerent,* Ariovisti bello et Tencterorum transitu: 1, 1, 1 Litteris Caesaris consulibus redditis aegre ab his *impetratum* est summa tribunorum plebis contentione, ut . . . A 43, 1 Gabinius ut in Illyricum *venit* hiberno tempore anni ac difficili . . . VII 71, 4 sed paulo etiam longius tolerari *posse* parcendo. I 12, 1 Flumen est Arar, quod per fines Haeduorum et Sequanorum in Rhodanum *influit* incredibili lenitate, ut . . . 3, 10, 1 Demonstravimus L. Vibullium Rufum . . . bis in potestatem pervenisse Caesaris atque ab eo *esse dimissum* semel ad Corfinium, iterum in Hispania. VIII 41, 2 e regione eius vineas agere adversus montem et aggerem exstruere *coepit* magno cum labore et continua dimicatione. A 8, 5 Magnam autem moram et difficultatem ascensum in naves *habere,* praesertim ex scaphis."

Neque tamen adverbialium propria est haec collocatio. In adverbiis quidem perraro invenitur; hunc unum locum fortasse huc afferre licet: A 5, 2 „sed ea plebes ac multitudo contenta *est* necessario, quod . . ." Sed omnino in aliis sententiae partibus interdum observatur; velut hoc loco finis, quo iter tendat, per epexegesin additur, postquam antea breviter indicatus est: 3, 101, 4 „Cassiusque ad Sulpicianam inde classem *profectus est* Vibonem . . ." Similiter infinitivus, cuius vice in ipsa sententia pronomen fungitur, post verbum affertur saepius per epexegesin; conf. I 7, 1 „Caesari cum id *nuntiatum esset,* eos per provinciam iter facere conari, maturat ab . . ." cf. etiam 3, 99, 2: „Sic . . . . existimabat . . ."

§ 45. De verbi ad adverbia vel adverbialia praemissa applicatione.

Eadem adverbii vel adverbialis cum verbo iunctura, quae modo nobis respicienda erat, aliud collocationum genus explicatur, ad quod deinceps transeamus. Supra § 34 c hanc relationem tam artam esse invenimus, ut una cum verbo graviore adverbium seu adverbiale praemittatur. Similia § 3 c in verbis traiectis invenimus. Num igitur mirum est, quod invicem persaepe adverbio praemisso etiam verbum applicatur? Sed his qui huc pertinere videntur locis praeterea quaerendum est, cur adverbium praemissum sit, ne forte

illos locos huc referamus, qui verbum non applicatum, sed una cum verbo praemissum exhibent.

a) Haec res facile intellegitur illis locis, qui adverbiale relativum vel cum pronomine relativo coniunctum praebent; nam relativum per se sententiae initium occupare solet, ad adverbiale autem verbum applicatur; ad hanc rem probandam satis multa exempla exstant; cf. VIII 40, 2 „Flumen infimam vallem dividebat, quae totum paene montem cingebat, in quo *positum erat* praeruptum undique oppidum Uxellodunum. 3, 15, 4 ex pellibus, quibus *erant tectae* naves, nocturnum excipere rorem cogerentur. 3, 67, 5 cuius opera *proditum* exercitum C. Antonii demonstravimus A 26, 1 . . . itinere pedestri, quo *coniungitur* Aegyptus Syriae, . . . VIII 39, 1 fit certior . : . quoque in consilio *permanerent* oppidani."

b) Adverbialis in initio sententiae collocatio item facillime explicatur his locis, qui pronomina demonstrativa vel determinativa adverbiali notione adhibita praebent; nam pronomina demonstrativa saepissime ad sententias coniungendas in initio collocantur, et huiusmodi adverbialia persaepe verba secum trahunt in locum priorem, cf. III 8, 2 „Ab his *fit* initium retinendi Silii atque Velanii, . . . VI 28, 3 Hoc se labore *durant* adulescentes . . . . 1, 5, 1 His de causis *aguntur* omnia raptim atque turbate. 3, 1, 2 per eos *fierent* aestimationes possessionum et rerum, 3, 16, 5 Huc *addit* pauca de causa et de copiis auxiliisque suis 1, 25, 5 quod his locis erat vadosum mare."

Huc referendi sunt huiusmodi loci, qui item adverbium in initio positum exhibent propter artiorem ad superiora relationem; ad adverbium verbum applicatum est: A 56, 2 Sic *erat* dubius animi, utrum nihil timeret an . . . VII 20, 11 itaque *statuisse* imperatorem . . . 3, 93, 1 ut *erat praeceptum* a Caesare, A 54, 1 Interim *nuntiatur* Laterensi . . . 2, 6, 3 Neque vero . . . deficiebant neque multum *cedebant* virtute nostris . . .[51])"

c) Persaepe mera adverbia magis quam reliquae enuntiati partes intenta ideoque praemissa verba secum trahunt; veluti hisce locis: V 31, 3 „Tandem *dat* Cotta permotus manus: VII 32, 5 Quod si diutius *alatur* controversia, fore . . . VIII 21, 3 vix *refu-*

---

[51]) Singularis hic locus est, quod „multum" cum negationis particula artissime cohaeret, et cum adiectivo demum adverbiali verbum coniunctum est.

gisse nuntios caedis. 1, 22, 6 adeo *esse* perterritos nonnullos, ut . . . 2, 14, 2 Hunc sic *distulit* ventus, uti . . . 2, 33, 4 cum primum *sit data* potestas . . . 3, 92, 2 leviusque *casura* pila sperabat . . . A 12, 1 Eo detrimento adeo *sunt fracti* Alexandrini, A 70, 8 tunc sibi *mitteret* munera ac dona, . . ."; hoc supremo loco pronomen enclitice scil. ante verbum insertum est.[52])

d) Adverbialia propter insignem gravitatem praemissa et verba ad ea applicata sunt plurimis locis; cf. exempli gratia: I 41, 1 „Hac oratione habita mirum in modum *conversae sunt* omnium mentes . . . II 35, 1 uti ab iis nationibus, quae trans Rhenum incolerent, *mitterentur* legati ad Caesarem, qui . . . pollicerentur.*) V 28, 5 interea et ex proximis hibernis et a Caesare *conventura* subsidia; VI 35, 4 Trans Rhenum ad Germanos *pervenit* fama . . . VII 4, 6 omnium consensu ad eum *defertur* imperium. VII 29, 2 Non virtute neque in acie *vicisse* Romanos, VIII 19, 3 hoc ipso *fiunt* superiores, quod . . . 1, 30, 2 protinus in Africam *traducere* exercitum iubet. 1, 62, 1 huc iam *deduxerat* rem, 1, 64, 3 posse et audere ea *transire* flumen, qua . . . 2, 28, 1 quas superioribus temporibus Corfinio *receperat* Caesar, A 74, 1 Quas interposita tanta locorum iniquitate consuetudine magis pervulgata militari credebat[53]) *instrui* Caesar . . ."

e) Magnus huiusmodi applicationum numerus etiam in iis verbis invenitur, ex quibus infinitivus pendet. Sed haec exempla in alia commentationis parte allaturus sum; cf. § 54 c. Nunc aliam adverbialium formam respiciamus, participia dico absoluta et coniuncta quae vocantur. Ablativum absolutum adverbiali munere fungi vix affirmari oportet, cum omnino ablativus adverbialis fere casus sit. Sed participia coniuncta item res aliquas afferunt, quae ad ipsum verbum maxime pertinent; id quod facile exemplis infra scriptis probatur. Quá de causa, cum saepius verbum ad huius-

---

[52]) Hoc loco breviter commemoranda est haec res, quae ad artem phoneticam magis fortasse spectat. In pronuntiando ad adverbia valde inclinantur verba, quod optime perspicitur in verbis compositis, quae huiusmodi inclinatione omnino orta sunt. Itaque cum ea quae supra allata sunt adverbia propter gravitatem praemissa sint, huiusmodi inclinatio illis locis verisimillima est. Num autem in collocatione aliquid valuerit haec inclinatio, ipse valde dubito.

*) Meuselius hanc stirpis β lectionem sequitur: „legati ad Caesarem mitterentur;"

[53]) de credendi verbo enclitice inserto cf. § 4 i.

modi participia applicetur, recte affirmatur hanc collocationem simillimam vel eandem esse atque illas, quas modo explicavimus. Altera autem illa quaestio, cur ipsum adverbiale praemissum sit, facile his locis absolvitur. Participia enim praemittuntur, quod res, quas afferunt, eas, quas verbum indicat, antecedunt; his igitur locis illud Madvigii maxime valet, de quo supra § 26. expositum est. Exempli gratia hos locos respicias: VI 16, 4 „quibus succensis circumventi flamma *exanimantur* homines. VII 62, 2 Labienus milites cohortatus, ut . . ., *dat* signum proelii. VIII 22, 1 Haec orantibus legatis *commemorat* Caesar: 1, 13, 4 Commisso proelio deseritur a suis Varus; 1, 84, 3 Audiente utroque exercitu *loquitur* Afranius": Huiusmodi loci verbi ad adverbiale applicationem satis dilucidam praebent. His qui sequuntur locis praeterea alia collocationis causa fortasse respicienda est, de qua exemplis propositis pauca allaturus sum: VII 2, 1 „His rebus agitatis *profitentur* Carnutes . . . VII 44, 2 Admiratus *quaerit* ex perfugis causam, VIII 35, 1 Magna copia frumenti comparata *considunt* Drappes et Lucterius . . . 1, 41, 2 et ibi paulisper sub armis moratus *facit* aequo loco pugnandi potestatem. 2, 26, 3 Novitate rei Curio permotus *praemittit* equites, . . ." His locis, qui ad ipsum participium adverbiale verbum applicatum exhibent, praeterea fortasse — certa scil. argumenta in hac re prorsus desunt, — respicienda est illa lex, qua in lingua Latina voces eiusdem generis facile inter se iunguntur collocatione; quae res in pronominibus maxime observatur; cf. Leo p. 431. sq. Neque tamen verbi ad adverbiale applicationem, quae aliis locis certissime probatur, his locis neglegere debemus. Immo duae collocationis rationes his locis fortasse concurrerunt. Plane idem in insequentis capitis exemplis valet.

f) In exemplis, quae modo attuli, complura participia inveniuntur, quae variis additamentis aucta sententiae fere secundariae speciem et notionem praebent; omnino autem huiusmodi participii constructiones facile enuntiati secundari munere funguntur. Enuntiatum igitur secundarium et participium forma magis quam re inter se differunt. Accedit, quod enuntiata secundaria saepissime meram adverbialem notionem habent. Cum illis igitur quas supra explicavimus collocationibus propter communem rationem hae artissime coniungendae sunt, quae verbum enuntiati primarii enuntiato secundario, — quod adverbialem scil. habet notionem, — submissum exhibent. Ipsa nimirum verbi ad adverbiale

attractio etiam harum collocationum summa causa est. Quae res satis probatur exemplis, quae allaturus sum. Praeterea autem in his collocationibus etiam de illa quam modo explicavimus collocandi ratione fortasse aliquis cogitet, cum verbum enuntiati secundarii in fine plerumque positum sit. Sed alteram ab altera ratione in ipsis locis separare non possumus: 1, 31, 2 „Tubero cum in Africam venisset, *invenit* in provincia cum imperio Attium Varum; 2, 11, 2 Id ubi vident, *mutant* consilium. 1, 84, 2 Ubi id a Caesare negatum et, palam si conloqui vellent, concessum est, *datur* obsidis loco Caesari filius Afranii. VIII 19, 1 Cum dispositis turmis invicem rari proeliarentur neque ab lateribus circumveniri suos paterentur, *erumpunt* ceteri Correo proeliante ex silvis.[54]) VIII 43, 2 cum quid ageretur in locis reliquis essent suspensi, *revocant* ab impugnandis operibus armatos . . . 3, 16, 3 Eo cum venisset, *evocantur* illi ad conloquium. A 3, 4 Quem si non expulissent, *futuram* ex regno provinciam;"

§ 46. De verbis, quae usu et consuetudine cum aliis vocibus in certas loquendi formulas redacta usitatum in sententia locum non obtinent.

Cum paragraphis antecedentibus de artiore verbi cum alia voce iunctura disseruerimus, deinceps commemoremus rem simillimam; certas illas loquendi formulas dico, quae verbum usu et consuetudine cum alio vocabulo coalitum fere praebent. Sed ad verborum collocationem non tantum valent, quantum facile quis opinetur. Consideremus enim hoc loco ea, quae de verborum compositione doctissime exposuit Brugmann, Ber. der sächs. Ges. 52, (1900) p. 359 sqq.; qui praeter verba composita quae vocare solemus illa etiam eodem nomine digna esse docuit, quae non quidem in unum vocabulum coaluerint, sed unam efficiant notionem; atque has formulas Brugmann composita distantia nominavit. Huic verborum generi etiam illae formulae maxime propinquae sunt, quas hac paragrapho tractandas nobis proposuimus. Qua de causa, cum in ipsis formulis ordo verborum fixus fere sit, cf. Brugmann l. a. p. 381 sq., eisdem modis, quibus reliqua verba, has formulas invenimus collocatas. Hanc sententiam exemplis quibusdam probemus

---

[54]) Hic locus praeterea nobis notabilis est eo, quod propter enuntiati secundarii longitudinem verbum enuntiati primarii etiam magis desideratur; similia etiam aliis locis interdum inveniuntur.

oportet. Polaschek l. a. p. 21. complures attulit formulas, quae verbum auxiliare continent; in quibus etiam „parem esse", „opus esse" numerandae sunt. Num autem collocatio explicata est, si verbum in his fixis formulis inveniri demonstraveris? Nonne porro quaerendum est de ipsius formulae collocatione? Velut hoc loco: A. 46, 1 „neque navium se magnitudine neque numero *parem esse* futurae dimicationi," verbum auxiliare non solum ad adiectivum, sed ipsa formula ad adverbiale „numero" applicatum est eadem ratione, qua aliis locis verbum collocatum repperimus § 45. Eodem modo „opus esse" formula ad negationem applicatur hoc loco: A 59, 1 „cum videret ad Cassium persequendum nihil *opus esse* Pompei nomine et memoria . . ." Hoc loco „necesse sit" formula oppositione insignita priorem in sententia locum obtinuit, cf. § 34, ubi easdem verbi collocationes tractavimus: VII 38, 7 „Quasi vero, inquit ille, consilii sit res ac non n e c e s s e s i t nobis Gergoviam contendere . . ." Hoc loco: 2, 1, 3 „Massilia enim fere tribus ex partibus mari adluitur; reliqua quarta est, quae *aditum habeat* a terra." non aditum habendi formula [55]) ipsius verbi collocationis causa est, sed adverbiale propter gravitatem remissum est post formulam item atque post verba remissum aliis locis invenimus § 44 b. His exemplis satis mihi videtur probari, quod supra proposuimus: illas loquendi formulas per se non propriam collocationis rationem exhibere, sed tamquam composita distantia reliquorum verborum rationibus poni; qua de causa illarum collocationum exemplis adnumerandae erant.

Admodum autem singularis est hic locus, qui verbum item in formula quadam exhibet positum, sed cum verbi additamento adiectivum intentius coniunctum est, quae praemissa verbum secum trahunt: VII 41, 3 „ad haec sustinenda m a g n o usui *fuisse* tormenta." Neque tamen reticendum est etiam in his loquendi formulis nequaquam tam certum esse ordinem verborum, ut nunquam mutetur; immo nonnulli inveniuntur loci, quibus demonstratur, quam facile — in primis enclisi — etiam in his formulis aliae collocationis formae exprimantur; ut exemplum afferam: hoc loco enclisis valuit: I 10, 1 „Caesari nuntiatur Helvetiis *esse* in animo," cf. § 5 b; item hoc loco, quem optimo iure § 9 c adnumeres: VII 14, 10. „quae sit necesse accidere victis."

---

[55]) conf. 3, 112, 8 aditusque habebat, III, 12, 1 aditum haberent, 3, 45, 3; III, 25, 2; 3, 42, 1; VII, 66, 7.

§ 47. De verbis, quae suum in fine locum concesserunt illis vocibus, quae cum sequenti enuntiato artius cohaerent.

Identidem invenimus praeter verborum gravitatem seu levitatem multum in collocatione valere ipsum enuntiatorum conexum. Sed cum supra hanc rem in initio tantum sententiarum observaverimus, nunc iam illos locos consideremus, qui sententiae finem hac lege formatum exhibent.[56])

a) Ac primum quidem supinum hoc modo collocatum respiciamus: V 36, 1 „interpretem suum Cn. Pompeium ad eum *mittit* rogatum, ut sibi militibusque parcat. VI 32, 1 legatos ad Caesarem *miserunt* oratum, ne . . ., VII 12, 3 legati ad eum *venissent* oratum, ut . . VII 32, 2 principes Haeduorum *veniunt* oratum, ut . . A 34, 1 . . rex Deiotarus ad Domitium Calvinum . . *venit* oratum, ne A 67, 1 sed etiam reorum habitu supplex ad Caesarem *venit* oratum, ut . . ."

b) Usitatissima haec collocatio est in pronomine demonstrativo vel determinativo; sed in pronuntiando facile observatur haec pronomina etiam intentiora esse, ea scil. de causa, quod ad sequentia animos intendunt et totum enuntiatum sequens tamquam comprehendunt; cf. § 16; exempli gratia confer hos locos: V 2, 2 „naves . . . invenit instructas neque multum *abesse* ab eo, quin paucis diebus deduci possint. VII 42, 5 idem facere *cogunt* eos, qui . . . . VIII Pr. 8. tamen aliter *audimus* ea, quae . . . . A 41, 2 supplicia *constituit* in eos, qui . . . II 9, 4 Ibi vadis repertis partem suarum copiarum traducere *conati sunt* eo consilio, ut . . ." — nomina scil. cum pronominibus coniuncta ad ipsam rationem nihil valent. — VII 65, 4 „Caesar . . . trans Rhenum in Germaniam *mittit* ad eas civitates, quas . . . VIII 22, 2 Sed tamen se contentum *fore* ea poena, quam sibi . . ." Etiam huiusmodi loci huc pertinent: A 70, 3 „neque provinciarum publicas iniurias *condonare iis* posse, qui fuissent in se officiosi; VII 21, 1 quod *facere in eo* consuerunt, cuius orationem adprobant:" Praeterea huic quam tractamus sollemni formae maxime propinqui sunt huiusmodi loci: VI 38, 5 „Hoc spatio interposito reliqui sese *confirmant* tantum, ut in munitionibus consistere audeant . . . VII 73, 6 Huc teretes stipetes feminis crassitudine . . . demittebantur ita, ut . . ."

c) Asserendi sunt nonnulli loci, qui vocem notione comparativa in fine collocatam exhibent: 1, 35, 1 „debere eos Italiae to-

[56]) Hanc rationem Kühnast iam adhibuit, p. 314. sed eis quae attulit exemplis probasse vix videtur.

tius auctoritatem *sequi* potius, quam unius hominis voluntati obtemperare. 2, 15, 1 aggerem . . . eorum murorum contignatione facere *instituerunt* aequa fere latitudine, atque . . . 3, 12, 2 neque sibi iudicium *sumpturos* contra atque omnis Italia iudicavisset."

d) Sed quamquam in his sollemnibus formis longe maior numerus harum collocationum invenitur, tamen ab aliis locis haec ratio non plane aliena est; id quod facile his locis intellegitur: VII 84, 3 „Multum ad terrendos nostros *valet* clamor, qui post tergum pugnantibus existit, VIII 41, 1 Quorum omnis postea multitudo aquatum in unum locum *conveniebat* sub ipsius oppidi murum, ubi . . . 2, 9, 1 Ubi turris altitudo *perducta est* ad contabulationem, eam in parietes instruxerunt . . . 3, 63, 8 Itaque cum . . . resisterent, *animadversum est* vitium munitionis, quod supra demonstratum est, . . . VII 65, 4 Caesar . . . trans Rhenum in Germaniam mittit . . equitesque ab his arcessit et levis armaturae pedites, qui inter eos proeliari consuerant." Hoc supremo loco sententia omnino vix intellegi posset, nisi verbum priorem locum occupavisset; sed hoc modo ad aliud gravius collocationum genus iam traducti sumus.

De verbis perspicuitatis causa inusitate collocatis. § 48—§ 56.

§ 48. Summa orationis lex cum omnino, tum maxime Caesari est perspicuitas. Ad eam etiam verborum collocatio persaepe adaptata est. Duo genera nobis distinguenda sunt; alterum illorum locorum, qui ampliorem aliquam enuntiati partem post verbum remissum praebent, quo f a c i l i u s scil. totius enuntiati constructio p r o s p i c i a t u r ;[57]) alterum genus eorum locorum est, qui omnino n o n r e c t e i n t e l l e g e r e n t u r, nisi verbum in priorem enuntiati locum praemissum esset; perspicuitatis scil. vox in hoc altero genere mera σαφηνείας notione adhibita est. Utriusque generis complures exstant species. Ac primum velim consideremus eos locos, qui verbum complurium vocum commune in enumerationibus praemissum exhibent;[58]) his enim locis optime totius generis ratio illustratur, quam summatim definire possumus

---

[57]) In verbo auxiliari nonnullas huius rationis formas nuperrime observasse Marouzeavium p. 104 sqq. vidi, cum haec commentatio plane perfecta esset.

[58]) cf. de verbo auxiliari Marouzeau p. 105.

ita: una enuntiati pars additamentis aut disiunctionibus ita aucta est, ut solita verbi collocatione adhibita verbum, ex quo pendent illa, quae enumerantur, nimis desideraretur, et totius sententiae contextus dirimeretur.

a) Saepius huiusmodi enuntiata praeter verbum et enumerationem leviora tantum aut omnino nihil exhibent; in his sententiis verbum primum nimirum sententiae locum obtinet, velut: I 5, 4 „*Persuadent* Rauracis et Tulingis et Latobrigis finitimis suis, ut . . . III 19, 3 *Factum est* opportunitate loci, hostium inscientia ac defatigatione, virtute militum et superiorum pugnarum exercitatione, ut . . . V 12, 4 sq. *Utuntur* [aut aere] aut nummo aureo aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. *Nascitur*[59]) ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in maritimis ferrum, VII 42, 2 *Impellit* alios avaritia alios iracundia et temeritas, quae . . . VII 75, 2 *Imperant* Haeduis atque eorum clientibus, Segusiavis, Ambivaretis, Aulercis, Brannovicibus, [Blannoviis] milia XXXV; parem numerum Arvernis adiunctis Eleutetis, Cadurcis, . . . 1, 71, 2 *Concurrebant* legati, centuriones tribunique militum: 3, 5, 3 *Praeerat* Aegyptiis navibus Pompeius filius, Asiaticis D. Laelius et C. Triarius, Syriacis C. Cassius, Rhodiis C. Marcellus cum C. Coponio, . . . 1, 39, 1 *Erant,* ut supra demonstratum est,[60]) legiones Afranii III, Petrei duae, praeterea scutatae citerioris provinciae et caetratae ulterioris Hispaniae cohortes circiter LXXX equitumque . . ." Hi quos attulimus loci omnium, quos numeravimus, tertia pars sunt.

b) Reliquorum locorum numerus longe minor est; ratio his locis satis illustratur: II 34 „Eodem tempore a P. Crasso, quem cum legione una *miserat* ad Venetos, Venellos, Osismos, Coriosolitas, Esuvios, Aulercos, Redones, quae . . . certior factus est . . . III 27, 1 quo in numero *fuerunt* Tarbelli, Bigerriones, Ptianii, Vocates, Tarusates, Elusates, Gates, Ausci, Garumni, Sibusates, Cocosates; 2, 38, 2 Multum ad hanc rem probandam *adiuvat* adulescentia, magnitudo animi, superioris temporis proventus, fiducia rei bene gerendae. 3, 71, 1 Duobus his unius diei proeliis Caesar *desideravit* milites DCCCCLX et equites CC in his T. Tuticanum Gallum, senatoris filium, notos equites Romanos C. Fleginatem

[59]) Utendi et nascendi voces etiam oppositione quadam intentiores fortasse sunt; adverbium minoris momenti ideoque remissum est.

[60]) de parenthesi vide § 1, p. 10.

Placentia, A. Granium . . . . 3, 96, 1 In castris Pompei *videre licuit* trichilas structas, magnum argenti pondus expositum, recentibus caespitibus tabernacula constrata . . . 3, 108, 3 In testamento Ptolomaei patris heredes erant scripti ex duobus filiis maior et ex duabus filiabus ea, quae aetate antecedebat." Aliam enumerationis collocationem perpauci loci exhibent; cf. VIII 8, 2 „Singularis enim virtutis veterrimas legiones VII, VIII, VIIII. *habebat*, summae spei delectae iuventutis XI. A 13, 5 Caesar Rhodias naves IX *habebat* . . . . Ponticas VIII, Syrias . . . . Cilicias V, ex Asia XII." Haec altera scil. enumerationis ratio illi, quam supra explicavimus, admodum similis est.

§ 49. Eadem collocationis ratio aliis sollemnibus formis expressa est. Saepissime participii constructiones, variis additamentis auctae, propter ipsam amplitudinem post verbum afferuntur; nam ante verbum positae orationis continuationem nimis impedirent. Id quod ex ipsis exemplis facile sentitur: [61]) VI 43, 4 „Ac saepe in eum locum ventum est tanto in omnes partes diviso equitatu, ut . . . VII 19, 4 Indignantes milites Caesar, quod conspectum suum hostes ferre *possent* tantulo spatio interiecto, . . . VIII 12, 4 Quo facto perturbati celerius, quam consuetudo fert equestris proelii, se *receperunt* amisso Vertisco, principe civitatis, praefecto equitum; 2, 39, 1 Curio cum omnibus copiis quarta vigilia *exierat* cohortibus V castris praesidio relictis. 3, 33, 1 . . . cum in fanum *venturus esset* adhibitis compluribus ordinis senatorii, . . . 3, 76, 2 quod subito consilium profectionis *ceperant*, magna parte impedimentorum et sarcinarum relicta, A 29, 5 namque ex ea fuga pauci ad regem *refugerunt* paene omni reliqua multitudine interfecta. A 39, 2 quibus tamen angustissimum intervallum frontis *reliquit* reliquis cohortibus in subsidiis collocatis. A 40, 4 . . . legio in loca se superiora *contulit* non amplius CCL desideratis." Explicatio nostra optime probatur eo, quod tribus tantum locis ablativus absolutus, cuius exempla primum attuli, post verbum affertur nullis accessionibus auctus; atque hi loci analogia reliquorum fortasse explicantur, cf. exempli gratia: VIII 16, 1 „Caesar etsi discessum hostium animadvertere non *poterat* incendiis oppositis", Praeterea respiciendum est ex 38 ablativis absolutis, qui

---

[61]) Non plane quidem neglegendum est praeterea has participii constructiones vi et notione cum enuntiatis secundariis maxime comparandas esse ideoque facilius ex usitatis sententiae finibus excedere.

hoc modo collocati sunt, 9 deberi anonymo, qui de bello Alexandrino scripsit.

Participia coniuncta quae vocantur paulo minorem, neque tamen parvum, huiusmodi collocationum numerum exhibent. Sed ubicunque post verba positae sunt, accessiones quaedam inveniuntur in his participii constructionibus ita, ut sine dubio enuntiatum aliquo modo impedivissent, si ante verbum collocatae essent; haec igitur princeps huius collocationis causa est; cf. V 21, 2 „Ab his cognoscit non longe ex eo loco oppidum Cassivellauni *abesse* silvis paludibusque munitum, 1, 23, 5 atque eodem die castra movet iustumque iter *conficit* VII omnino dies ad Corfinium commoratus, 1, 31, 2 qui . . . dilectuque habito duas legiones *effecerat*, hominum et locorum notitia et usu eius provinciae nactus aditus ad ea conanda, quod . . . 1, 42, 2 neque idcirco Caesar opus *intermittit* confisus praesidio legionum trium et munitione fossae. 1, 51, 2 cum . . . omnes sine timore iter facerent usi superiorum temporum atque itinerum licentia." Maxime nostra explicationis ratio valet his locis, qui etiam infinitivum vel enuntiatum secundarium praebent ex participio remisso pendentem; quod, si cum participio ante verbum finitum insertus esset, omnis enuntiati cohaerentia sublata esset; cf. exempli causa: 3, 41, 3 „Dyrrachium *profectus est*, sperans Pompeium aut Dyrrachium compelli aut ab eo oppido intercludi posse, quo . . . 3, 96, 4 navemque frumentariam *conscendit*, saepe, ut dicebatur querens tantum se opinionem fefellisse, ut . . ."

§ 50. Participia coniuncta, quae supra allata sunt, attributi vel appositionis in enuntiato locum obtinent; opportune igitur hoc loco complurium locorum exempla subiungimus, qui eodem modo attributa vel appositiones longiores post verbum remissas exhibent. Causa nimirum eadem, quae proximis paragraphis saepius reperta est: enuntiatum nimis diremptum et infinitum esset, si solito loco haec attributa collocata essent: 1, 6, 5 „Provinciae privatis *decernuntur*, duae consulares, reliquae praetoriae. 1, 25, 1 His datis mandatis Brundisium cum legionibus VI *pervenit*, veteranis III et reliquis, quas ex novo dilectu confecerat atque in itinere compleverat; 1, 57, 3 neque multum Albici nostris virtute *cedebant*, homines asperi et montani et exercitati in armis; A 31, 1 iisque Carfulenum *praefecit*, et animi magnitudine et rei militaris scientia virum praestantem. A 66, 3 biduum Mazacae commoratus Comana *venit*, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia

Bellonae templum, 3, 111, 3 quarum . . . proelioque in Thessalia facto domum *redierant,* quadriremes omnes et quinqueremes aptae instructaeque omnibus rebus . . ."

§ 51. Exiguus quidem eorum locorum numerus est, qui supinum hoc modo praebent collocatum, neque tamen minus his locis ipsa collocationis ratio illustratur. Haec enim supina cum obiecto quodam coniuncta sunt; quam ob rem sententia facilius perlustratur, ut ita dicam, hac inusitata verbi collocatione adhibita: I 11, 2 „Haedui cum se suaque ab iis defendere non possent, legatos ad Caesarem *mittunt* rogatum auxilium. I 31, 9 Ob eam rem se ex civitate profugisse et Romam ad senatum *venisse* auxilium postulatum, VII 5, 2 Eius adventu Bituriges ad Haeduos, quorum erant in fide, legatos *mittunt* auxilium rogatum, VIII 4, 2 Ibi cum ius diceret, Bituriges ad eum legatos *mittunt* auxilium petitum contra Carnutes, . . ." Duobus supremis locis praeterea respiciendum est mittendi verbum cum legati nomine usu artius coniunctum esse. Neque tamen plane hac re collocatio explicatur; cur enim priorem locum supinum cum obiecto non obtinuit? qua re de artiore illa iunctura nihil mutatum esset.

§ 52. De sollemni huius generis specie etiam in hac gerundivi collocatione cogitandum est: persaepe enim gerundiva aliis vocabulis aucta post verbum in fine enuntiati afferuntur. In primis fortasse collocationis ratio perspicitur huiusmodi locis, qui duo gerundiva coniuncta praebent, nam haec collocatio etiam forma cum enumerationibus, cf. § 48, congruit: A 51, 3 „Itaque ipse in Lusitaniam *proficiscitur* ad legiones arcessendas auxiliaque adducenda"; Neque tamen minus facile huiusmodi locis perspicitur verbum propter gerundivi amplificationem priorem locum obtinuisse: VIII 7, 5 . . . „ex his castris Atrebatem Commium *discessisse* ad auxilia Germanorum adducenda, VIII 24, 3 legionem autem XV . . . in togatam Galliam *mittit* ad colonias civium Romanorum tuendas, 2, 24, 2 ipse cum equitatu *antecedit* ad castra exploranda Cornelia, 3, 29, 2 plerasque naves in Italiam *remittit* ad reliquos milites equitesque transportandos; 3, 75, 3 exercitum e castris eduxit equitatumque *praemisit* ad novissimum agmen demorandum, A 30, 3 castellum, quod rex in proximo vico . . . munierat bracchiisque cum opere castrorum *coniunxerat* vici obtinendi causa, . . ." Item gerundium hoc loco Caesar post verbum collocasse videtur, quod facilius et expeditius hoc modo fluit oratio:

3, 83, 3 „dixit placere sibi bello confecto ternas tabellas *dari* ad iudicandum iis, qui . . ." (de pronomine in fine collocato vide § 47.) Contra ab Hirtio et anonymo, qui de bello Alexandrino scripsit, etiam aliis quibusdam locis sine certa causa eadem gerundii collocatio adhibita est; cf. VIII 7, 6 „se *offerre* ad dimicandum" (conf. praeterea VIII 8, 3; VIII 16, 1; VIII 37, 3; A 10, 4; A 18, 1; A 39, 2). Sed etiam in aliis collocationibus sentire mihi videbar item atque in hac collocationis specie apud Caesarem ipsas causas et rationes multo magis expressas et servatas esse; apud Hirtium et anonymum usu et consuetudine latius interdum fines prolatos esse; cf. § 2, p. 18. Unde verisimile est etiam in his gerundii collocationibus gerundivi analogiam multum valuisse, praesertim cum illa gerundivi collocatio saepius apud Hirtium et anonymum quam apud Caesarem inveniatur.

§ 53. Sollemnes huius generis species ea potissimum de causa indagandae mihi videbantur, quod hoc modo collocationis ratio maxime probatur, et quantum valuerit, demonstratur. Neque tamen his specierum finibus totum collocationis genus continetur. Ipsa scil. ratio per se a nulla sententiae parte aliena esse videtur. Veluti adverbialia saepius propter amplitudinem post verba afferuntur; cf. exempli gratia: VII 29, 4 „sed *factum* imprudentia Biturigum et nimia obsequentia reliquorum, uti . . . VIII 46, 6 in totius Galliae defectione, quam *sustinuerat* fidelitate atque auxiliis provinciae illius, 3, 80, 5 quantum usum haberet ad sublevandam omnium rerum inopiam *potiri* oppido pleno atque opulento, . . . 1, 15, 4 Relictus in itinere cum paucis *incidit* in Vibullium Rufum missum a Pompeio in agrum Picenum confirmandorum hominum causa. VIII Pr. 2 . . . novissimumque imperfectum de rebus gestis Alexandriae *confeci* usque ad exitum non quidem civilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitae Caesaris. VIII 52, 2 quantum *satis esse* ad mutationem locorum propter salubritatem existimabat. A 16, 7 quas *protexerunt* ex molibus atque aedificiis imminentibus . . . . A 73, 3 cum spatio non amplius passuum mille intercisa vallis castra hostium *divideret* ab opere incepto Caesaris castrorum."

Reliquarum huiusmodi collocationum haec sufficiunt exempla: I 3, 4 „In eo itinere *persuadet* Castico, Catamantaloedis filio, Sequano, . . . A 15, 1 Rhodiis navibus *praeerat* Euphranor, animi magnitudine ac virtute magis cum nostris hominibus quam cum

Graecis comparandus." Confer etiam hos locos, quos facile huc pertinere sentias: VI 23, 7 „Atque ubi quis ex principibus in concilio dixit se ducem fore *consurgunt* ii, qui et causam et hominem probant, . . . VII 44, 1 Nam cum in minora castra operis perspiciendi causa venisset, *animadvertit* collem, qui ab hostibus tenebatur, nudatum hominibus, qui superioribus diebus vix prae multitudine cerni poterat."

§ 54. Huius collocationum generis, quod inde a § 48. tractamus, suprema ratio erat haec: verbum in fine sententiae collocatum nimis desideraretur et ea, quae antecederent, difficilius intellegerentur, cum aliqua enuntiati pars supra solitum modum additamentis aucta esset. Eadem ratio maxime valet etiam in illis verbis collocandis, ex quibus infinitivus pendet. Quae verba usitata collocatione in fine enuntiatorum ponuntur; sed infinitivi saepissime accessionibus augentur ita, ut sententiae continuatio dissolveretur, si longior infinitivi structura insereretur inter verbum et priores enuntiati voces, quae cum verbo artiorem relationem grammaticam habent, cum infinitivo omnino nullam. Difficilis quidem in hac re de infinitivi amplitudine quaestio est. Praeter longissimas enim structuras, quae verbum antecedere omnino non possent, aliae inveniuntur post verbum collocatae, quae ante verbum collocatae haud ita magnam difficultatem praeberent. Sed in huiusmodi rebus, quae sensu disceptantur, certa ratio nunquam statui potuerit, et similia in participii constructionibus eadem lege collocatis inveniuntur. Praeterea autem hic maxime respiciendum est illis fere locis verbum infinitivum antecedere, qui etiam alias voces, subiectum, obiectum, adverbia continent. (Reliquis locis, nisi forte alia ratio valet, multo facilius verbum usitatum in fine locum obtinet: cf. III 9, 4 „Pedestria esse itinera concisa aestuariis, navigationem impeditam propter inscientiam locorum paucitatemque portuum *sciebant,* neque nostros exercitus propter frumenti inopiam diutius apud se morari posse confidebant.") Unde facilius intellegitur, quomodo etiam modicae infinitivi structurae post verbum inserta sint. Subiecto enim et obiecto et adverbiis cum verbo finito quidem ratio intercedit grammatica, cum infinitivo non fere intercedit. Hac relatione etiam collocatione expressa breviter iam indicavimus orationis perspicuitatem augeri, dirempta autem hac relatione obscurari orationem. Neque multum refert, utrum pluribus an paucis tantum accessionibus auctus sit infinitivus, quo dirimitur illa rela-

tio, nam incommoda et molesta in utroque casu diremptio est. Haec igitur universa et princeps omnium locorum ratio est.

Praeterea in hac verbi ante infinitivum collocatione non neglegendum est infinitivi constructiones interdum ab reliqua sententia quodammodo absolutas esse, qua de causa etiam facilius post verbum finitum collocantur.[62])

Sed quamquam in omnibus his verbis, ex quibus infinitivus pendet, plane eadem ratio observatur, de qua ante expositum est, tamen in locis afferendis ad commentationis opportunitatem ordines nonnullos distinguamus oportet.

a) Ac primum quidem, ut probemus ea, quae supra disputavimus, consideremus exempla, quae nostram explicationis rationem manifestissime praebent expressam. Verbum ipsum, ex quo infinitivus pendet, infinitivi formam exhibet et ante verbum finitum in enuntiatum insertum est, infinitivi constructio extra enuntiati fines affertur: cf. I 46, 3 „tamen committendum non putabat, ut pulsis hostibus *dici* posset eos ab se per fidem in conloquio circumventos. 1, 13, 1 neque se neque reliquos municipes *pati* posse C. Caesarem imperatorem bene de re publica meritum tantis rebus gestis oppido moenibusque prohiberi; 3, 96, 1 ut facile *existimari* posset nihil eos de eventu eius diei timuisse, qui non necessarias conquirerent vo-

---

[62]) Haec infinitivi absolutio optime illustratur huiusmodi locis, ubi meram epexegeseos naturam infinitivus praebet; velut 3, 99, 2: „Sic enim Caesar *existimabat*, eo proelio excellentissimam virtutem Crastini fuisse . . ." Huc etiam spectant huiusmodi loci: I 31, 7 „coactos esse . . et iure iurando civitatem *obstringere* sese neque obsides repetituros neque auxilium a populo Romano imploraturos neque recusaturos, quo . . ." Sed haec collocationis genera quae latius patent, nobis commemoranda, non tractanda sunt. Verbum enim iustam sententiam his locis conficit et usitatum locum obtinet. Eadem de causa ad hanc commentationem non pertinent illi loci, qui longiorem nuntium eodem modo inserunt; velut 1, 34, 1 sqq. „Quo cum venisset, *cognoscit* missum in Hispaniam a Pompeio Vibullium Rufum, . . . profectum item . . . praemissos etiam . . ." Hae res scil. omnino uno enuntiato comprehendi non poterant. Hac circumscriptione propositi illi loci item a commentatione nostra secernuntur, qui infinitivum exhibent ex plenioribus illis formulis pendentem, quae per se iam enuntiatum efficiant; velut: „facile est, paratum esse, consilium capere, fama percrebuerat"; quae saepius quidem eodem modo, quo verbum collocantur, sed tamen per se tractandae sunt propter amplitudinem, quae non sine aliquo momento est. Eadem de causa huiusmodi formulas: „certiorem facere, satis habere, pro explorato habere," alias, ab hac commentatione seclusi. Hanc unam respexi „animum adverto", quippe quae ab animadvertendo vix differat.

luptates." Sed plures huiusmodi locos exscribere omnino supervacaneum est, cum his exemplis satis illustretur collocatio. Difficultas illa collocationis, de qua hac paragrapho ineunte expositum est, his locis duplicata est, cum praeter simplicem infinitivum, qui ex verbo finito pendet, etiam amplior infinitivi constructio inveniatur ex simplici illo infinitivo pendens. Ea de causa evidenter his locis observatur quam difficulter sententia intellegeretur, si infinitivi constructio ante alterum infinitivum, ex quo pendet, posita esset. Neque neglegendum est nobis altera ex parte, quam facile simplex infinitivus usitatum locum ante verbum finitum obtineat, cum longior infinitivi structura ultra enuntiati finem removenda sit.

b) Sed eadem quae in hoc specimine tam dilucide observatur collocationis ratio etiam reliquis locis satis certa est; exempli causa primum longiores quasdam infinitivi structuras allaturus sum, quae solitum ante verbum finitum locum obtinere omnino non possunt propter ipsam amplitudinem: I 22, 4 „Multo denique die per exploratores Caesar *cognovit* et montem ab suis teneri et Helvetios castra movisse et Considium timore perterritum, . . . pro viso sibi renuntiavisse.[63]) I 39, 7 Nonnulli etiam Caesari *nuntiabant,* cum castra moveri ac signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites neque propter timorem signa laturos. VII 61, 3 Uno fere tempore sub lucem hostibus *nuntiatur* in castris Romanorum praeter consuetudinem tumultuari et magnum ire agmen adverso flumine sonitumque . . . exaudiri et paulo infra milites navibus transportari. 1, 8, 3 Caesarem quoque pro sua dignitate *debere* . . . dimit-

[63]) Huiusmodi locis, qui complures infinitivos ampliores ex uno verbo pendentes exhibent, interdum duae collocationis rationes concurrunt: illa, de qua nunc exposuimus, et usitata verbi collocatio; primus enim infinitivus ante verbum ponitur, reliqui verbum sequuntur; hoc modo explicantur hi loci, qui rarius occurrunt: I 6, 3 „Allobrogibus sese vel persuasuros, quod . . ., *existimabant* vel vi coacturos, ut per suos fines . . ire paterentur. IV 9, 1 Legati haec se ad suos relaturos *dixerunt* et re deliberata . . . ad Caesarem reversuros." cf. praeterea II 25, 1 vidit, V 25, 4 iubet, VII 64, 2 dicit, VIII 1, 1 nuntiabantur, VIII 14, 3 iudicabat, 1, 66, 2 iubet, A 45, 3 iussit.

Idem fere compluribus locis invenitur, qui enuntiata secundaria ex infinitivi constructione exhibent pendentia et verbum finitum ante enuntiatum secundarium collocatum praebent; velut VII 15, 5 „facile se loci natura defensuros *dicunt,* quod prope . . ." cf. VII 14, 9 „praeterea oppida incendi *oportere,* quae . . ."; alia. Similiter perpaucis aliis locis verbum post enuntiatum secundarium remissum invenitur; cf. I 10, 2 „Id si fieret, *intellegebat* magno cum periculo provinciae futurum, ut . . . haberet. 3, 111, 4 quas si occupavissent, *sperabant* fore, ut . . ."

tere neque adeo graviter irasci inimicis, ut . . . 1, 19, 3 Pompeius enim *rescripserat:* sese rem in summum periculum deducturum non esse neque . . . contulisse; 1, 29, 1 Caesar etsi ad spem conficiendi negotii maxime *probabat* coactis navibus mare transire et Pompeium sequi, priusquam ille sese transmarinis auxiliis confirmaret, tamen . . ." His locis subiungendus est locus, qui applicationem nullam quidem verbi praebet; sed idem perspicuitatis studium valuisse propter longiorem infinitivum verisimillimum est: A 31, 6 „*Constat* fugisse ex castris regem ipsum receptumque in navem . . . demerso navigio perisse."

Deinceps ad reliquos locos animum advertamus, quibus infinitivi constructio usitatum ante verbum locum obtinere non prorsus nequit; sed tamen isdem de causis atque locis modo allatis non obtinere supra p. 92 sq. vidimus [64]): I 20, 4 „cum ipse eum locum amicitiae apud eum teneret, neminem *existimaturum* non sua voluntate factum; III 3, 4 Maiori tamen parti *placuit,* hoc reservato ad extremum . . . consilio interim rei eventum experiri et castra defendere. IV 16, 1 Germanico bello confecto multis de causis Caesar *statuit* sibi Rhenum esse transeundum; V 6, 2 Accedebat huc, quod in concilio Haeduorum Dumnorix *dixerat* sibi a Caesare regnum civitatis deferri; V 13, 3 de quibus insulis nonnulli *scripserunt* dies continuos XXX . . . esse noctem. VIII 34, 1 cum . . . maximeque ex omnibus Lucterius, qui fortunae illius periculum fecerat, *moneret* frumenti rationem esse habendam, VIII 38, 3 quorum in civitate superiore commentario Caesar *exposuit* initium belli esse ortum,[65]) 2, 26, 2 Nondum opere castrorum perfecto equites ex statione *nuntiant* magna auxilia equitum peditumque ab rege missa Uticam venire."

His quos attulimus locis ipsa quidem collocationis ratio satis illustratur, sed quam late pateat, minus perspicitur. Qua de causa infra locos additurus sum, qui mera forma aliquantum differunt, sed eandem habent explicationem; exempla primum respiciamus [66]):

---

[64]) Inter utriusque collocationis numerum differentia vix interest; ad triginta locos numeravi, qui longissimas et totidem, qui longiores infinitivi constructiones exhibent.

[65]) Nonnulla vocabula ex ipsius infinitivi structura ad applicationem scil. praemissa sunt.

[66]) In reliqua exemplorum enumeratione amplissimos ab amplioribus infinitivis non distinxi, cum ipsa differentia non magna et supra satis demonstrata sit; illi scil. verbum antecedere non possunt, hi isdem de causis non antecedunt.

II 14, 3 „. . . impulsos ab suis principibus, qui *dicerent* Haeduos a Caesare in servitutem redactos omnes indignitates contumeliasque perferre, . . . IV 21, 5 legati veniunt, qui *polliceantur* obsides dare atque imperio populi Romani obtemperare. V 1, 7 legatos ad eum mittunt, qui *doceant* nihil earum rerum publico factum consilio VI 9, 6 legatos mittunt, qui *doceant* neque auxilia ex sua civitate in Treveros missa neque ab se fidem laesam"; Huiusmodi omnino novem locos numeravi. Pronomen scil. relativum per se nihil valet ad collocationem, quae minime a superioribus locis differt: eadem nimirum enuntiati diremptio, quae illis locis evitatur, his locis non minus molesta esset infinitivo inter pronomen et verbum inserto. Eadem ratio in his quae deinceps allaturus sum exemplis facile sentitur. Coniunctio his locis primum enuntiati locum obtinet, et cum verbum finitum cum coniunctione artiorem habeat relationem grammaticam, incommodum esset, si verbum post longiorem infinitivi structuram in fine sententiae afferretur; id quod facile vitatur verbo ad coniunctionem applicato. (Haec autem inter verbum et coniunctionem relatio optime illustratur eo, quod omnes fere coniunctiones primitus adverbia erant; neque tamen de verbi ad adverbium attractione his locis loqui possis, cum primitiva illa coniunctionum vis Caesaris temporibus sine dubio non iam sensa sit.) Sed exempla contemplemur: I 28, 4 „Id ea maxime ratione fecit, quod [67]) *noluit* eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare, IV 16, 1 quod, cum [68]) *videret* Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, cum *intellegerent* et posse et audere populi Romani exercitum Rhenum transire. VIII 36, 1 . . . cum *intellegeret* fugato duce altero perterreri reliquos facile et opprimi posse, magnae felicitatis esse arbitrabatur . . ." Huius coniunctionis „cum" plurima exstant exempla; ipse plus viginti numeravi, quae huc pertinent. Quorum magna pars tantam exhibet infinitivi structuram, ut verbum finitum post infinitivum collocari omnino vix possit; cf.: III 20, 1 „cum *intellegeret* in iis locis sibi bellum gerendum, ubi paucis ante annis L. Valerius Praeconinus legatus exercitu pulso interfectus esset atque unde L. Manlius proconsul impedimentis amissis profugisset, A 35, 2 Cn. Domitius cum *animadverteret* eum Cappadocia decessisse

[67]) de adverbiali huius coniunctionis vi cf. Schmalz, Synt. p. 539.
[68]) de primitiva huius coniunctionis vi adverbiali cf. Schmalz, Synt. p. 560.

non voluntate adductum sed necessitate, quod facilius Armeniam defendere posset, . . ." Sed reliquarum coniunctionum exempla afferamus: III 14, 1 „Compluribus expugnatis oppidis Caesar, ubi [69]) *intellexit* frustra tantum laborem sumi neque hostium fugam captis oppidis reprimi neque iis noceri posse, statuit . . . cf. V 56, 1 ubi intellexit, 1, 41, 3 ubi cognovit, 3, 15, 3 premebantur, adeo ut [70]) *cogerentur* sicuti reliquum commeatum, ita ligna atque aquam Corcyra navibus onerariis supportare; cf. I 44, 9 ut non sciret, VII 20, 8 ut intellegatis. VII 39, 3 orat, ne *patiatur* civitatem pravis adulescentium consiliis ab amicitia populi Romani deficere, cf. 2, 33, 2 neu dubitet, IV 8, 3 sed *licere,* si velint, in Ubiorum finibus considere", cf. 2, 18, 7 tamen constituerat . . ."

c) Restat, ut exempla nonnulla afferamus frequentium locorum, qui verbum ante infinitivum praemissum et simul ad adverbium vel adverbiale applicatum exhibent. Hi loci separatim ab reliquis tractandi mihi videbantur, quod duas collocationis rationes expressas habent: huius paragraphi rationem, qua longiores infinitivi structurae intra enuntiatum non inseruntur, ne voces logice cohaerentes nimis dirimantur et sententia obscuretur; altera paragraphi 45 lex est, qua adverbium in initio sententiae collocatum verbum secum trahit. Neutram harum rationum, quae per se probatae sunt aliis locis ab his locis, plane secludere possis. Rectius mihi videtur utramque legem his locis agnoscere. Illam quam supra p. 130 sqq. exempli causa demonstravi differentiam longissimi et longioris infinitivi hoc capite ita observandam putavi, ut primum quinque exempla afferrem, quae post longissimum infinitivum verbum exhibere omnino non possunt. Huiusmodi enim locis haec differentia maioris momenti est, cum infinitivi amplitudo adverbii attractionem sine dubio longe praevaleat his locis: V 21, 2 „Ab his *cognoscit* non longe ex eo loco oppidum Cassivellauni abesse silvis paludibusque munitum, quo . . . 3, 105, 2 Item *constabat* Elide in templo Minervae repetitis atque numeratis diebus, quo die . . ., simulacrum Victoriae, quod . . ., ad valvas se templi limenque convertisse. A 55, 2 Indicio Minucii *cognoscit* L. Racilium et L. Laterensem et Annium Scapulam, maximae dignitatis

[69]) de adverbiali huius coniunctionis notione vide Schmalz, Synt. p. 577 sq.

[70]) haec coniunctio instrumentalem notionem primitus habuisse videtur cf. Schmalz, Synt. p. 569.

et . . . hominem . . . in eadem fuisse coniuratione . . . V 16, 1 Toto hoc in genere pugnae, cum sub oculis omnium . . . dimicaretur, *intellectum est* nostros propter gravitatem armorum, quod . . ., minus aptos esse ad huius generis hostem, equites autem magno cum periculo . . . dimicare, propterea quod . . . VIII 36, 3 . . . ab exploratoribus, quos praemiserat, *cognoscit* castra eorum, ut barbarorum fere consuetudo est, relictis locis superioribus ad ripas esse fluminis demissa, at Germanos equitesque . . . advolasse proeliumque commisisse."

Ex reliquis locis hos consideremus exempli gratia: [71]) A 56, 1 „litteras a Caesare missas accipit, quibus *cognoscit* Pompeium in acie victum amissis copiis fugisse. 1, 82, 5 Hac de causa *constituerat* signa inferentibus resistere, prior proelio non lacessere. 3, 87, 4 An non *audistis* ex iis, qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisii factas? A 37, 1 numquam tamen *intermittebat* legatos de pace atque amicitia mittere ad Domitium, VI 29, 1 Caesar postquam per Ubios exploratores *comperit* Suebos sese in silvas recepisse, 3, 86, 1 Pompeius quoque, ut . . ., suorum omnium hortatu *statuerat* proelio decertare."

Ex permultis locis, qui adverbialis loco participium exhibent, vel enuntiatum secundarium, cf. § 45 e, f, complures huc pertinent, qui simul ampliorem infinitivi constructionem post verbum remissam praebent; sed cum ratio satis iam probata sit, singulos locos exempli gratia affero: V 52, 2 „producta legione *cognoscit* non decimum quemque esse reliquum militem sine vulnere; V 18, 2 Eo cum venisset, *animadvertit* ad alteram fluminis ripam magnas esse copias hostium instructas."

Huic quam modo tractavimus rationi simillima est horum locorum ratio: I 22, 2 „Considius equo admisso ad eum accurrit, *dicit* montem, quem a Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri. V 47, 5 litteras Caesari remittit, . . . rem gestam . . . perscribit; *docet* omnes equitatus peditatusque copias Treverorum III milia passum longe ab suis castris consedisse." eiusdem generis multa exstant exempla. Verbo scil. applicato ad verbum antecedens, cuius vim et notionem producit fere, cf. § 28, multo facilius infinitivus in orationis contextum inseritur. Illa autem inter utrumque verbum

---

[71]) § 45 nonnullas adverbialium series distinximus, prout applicationis ad superiora, aut insignis gravitatis causa primum locum obtinebant; quae hic conferenda fortasse, non repetenda sunt.

iunctura, quae his locis servatur propter orationis perspicuitatem, compluribus locis coniunctione indicatur, velut: 3, 13, 3 princeps Labienus procedit *iuratque* se eum non deserturum eundemque casum subiturum, quemcunque ei fortuna tribuisset. 3, 89, 3 quid fieri vellet, ostendit *monuitque* eius diei victoriam in earum cohortium virtute constare." [72])

d) Cum hac paragrapho maximam partem tractaverimus verborum, ex quibus infinitivus pendet, deinceps per epexegesin breviter commemoremus usitatissimam horum verborum collocationem, qua infinitivum suum sequuntur, etiamsi aliqua de causa praemissus est. Analogia nimirum plurimum in hac verbi finiti collocatione valet, (cf. huc maxime observationem, quam fecit Bergaigne p. 143. de loquendi formulis, quae nostra fere aetate hac infinitivi et verbi finiti iunctura factae sunt,) infinitivus aliis de causis praemissus est, quae aliis paragraphis iam explicatae sunt. Veluti hoc loco verbum sequitur infinitivum, qui propter gravitatem praemissus est, (cf. § 34 b): VIII 53, 2 „quo maiores pararent necessitates quibus c o g i *posset* senatus id probare, quod . . ." Similiter verbum finitum usitatum post infinitivum locum obtinet, qui ad adverbium applicatus est: 3, 56, 1 „ac paulo longius progrediendum existimabat Caesar." Eadem collocationis ratio per se fere consentanea est illis locis, qui non verbum praemissum, sed alias voces aliqua de causa post verbum remissas exhibent; velut hoc loco: A 10, 5 „nox autem *adlatura videbatur* maiorem fiduciam illis, qui locorum notitia confidebant"; verbum scil. finitum huiusmodi locis omnino remanet loco usitato.

§ 55. Totum collocationum genus, quod inde a § 48. tractavimus, artius in commentationis contextum inseruimus et cum altero genere coniunximus § 48, p. 86, quod item perspicuitati orationis maxime inservit. Ad hoc genus deinceps transeamus. Illam perspicuitatis causam multo graviorem his locis inveniemus, quam superioribus. Illic enim difficilius oratio intellegeretur verbo in fine collocato, hic maxime ambigua, ne dicam falsa, esset oratio, nisi priorem enuntiati locum verbum obtineret. Sed in ipsis exemplis melius hae res perspiciuntur.

Primum velim consideremus sollemnem quandam speciem collocationis verborum, ex quibus infinitivus pendet. Haec verba,

---

[72]) Praeterea facile neque iniuria his locis cogites de illis, quae § 45 e exposuimus, de verbis eiusdem generis collocatione iunctis.

cum in oratione obliqua ipsa infinitivi formam exhibent, infinitivi structuram fere antecedunt. Collocationis ratio manifesta esse videtur: nisi enim infinitivus regens qui vocatur antecederet, infinitivi constructio, quae inde pendet, plane ut orationis obliquae enuntiatum intellegeretur. Admodum multa huius collocationis exstant exempla: 1, 18, 1 „*cupere* ea facere, quae vellet, . . . V 36, 2 *sperare* a multitudine impetrari posse quod ad militum salutem pertineat; I 20, 2 *scire* se illa esse vera, — (de pronominibus postpositis vide § 9 et § 29) — II 15, 6 *confirmare* sese neque legatos missuros neque ullam condicionem pacis accepturos. 1, 35, 3 *Intellegere* se divisum esse populum Romanum in partes duas. 1, 20, 2 *debere* se suae salutis rationem habere. I 44, 10 *Debere* se suspicari simulata Caesarem amicitia quem exercitum in Gallia habeat sui opprimendi causa habere."

Similia etiam extra orationes evenire possunt, quod ex his locis cognoscas, ubi duae infinitivi constructiones iuxta positae orationem obscurarent, cum grammatica relatione diversae sint. Quae difficultas facile vitatur verbo ante alterum infinitivum inserto: I 7, 1 „Caesari cum id nuntiatum esset, eos per provinciam iter facere conari, *maturat* ab urbe proficisci . . . VIII 34, 1 . . . Lucterius . . . moneret frumenti rationem esse habendam, *constituunt* omnium consensu parte ibi relicta copiarum ipsi cum expeditis ad importandum frumentum proficisci." cf. etiam III 14, 1 „noceri posse, *statuit* exspectandam classem."

§ 56. Eandem quam modo repperimus collocationis rationem etiam his qui sequuntur locis adhibitam inveniemus. Voces scil., quae easdem habent formas, sed diverso in enuntiato munere funguntur, verbo separantur, ne propter formae similitudinem munera vocum illarum confundi possint. Quantum autem ad perspicuitatem orationis haec collocatio valeat, optime fortasse senties, si contrarium quendam locum noveris, quo Hirtius difficultatem illam orationis admisit: VIII 27, 5 „magna praeda multis interfectis potiuntur." Sed hic locus admodum singularis est, licet. Ipsa quam descripsimus ratio non minus facile perspicitur his exemplis: I 10, 1 „*Caesari* nuntiatur *Helvetiis* esse in animo . . . II 2, 4 Hi constanter *omnes* nuntiaverunt *manus* cogi . . . VI 17, 1 hunc ad quaestus pecuniae *mercaturasque* habere *vim maximam* arbitrantur, II 19, 1 Caesar *equitatu praemisso* subsequebatur *omnibus copiis;* I 40, 9 . . . hac ne *ipsum* quidem sperare *nostros exercitus* capi posse.

VI 21, 5 aut parvis renonum *tegimentis* utuntur *magna corporis parte* nuda. I 22, 5 *Eo die* quo consuerat *intervallo* . . ."

Neque tamen artis his regulis omnis perspicuitatis ratio continetur. Immo per se fere consentaneum est huiusmodi collocationis occassiones facile et frequenter occurrere. Cui rei singulares hi loci testimonio sunt, qui verbum ad priorem enuntiati vocem applicatum praebent, ne falso cum hac voce iungatur aliud verbum aut verbum cum alia voce: V 20, 4 „*His* Caesar *imperat* obsides XL frumentumque *exercitui* . . . V 5, 2 *Ibi cognoscit* LX naves, quae . . . cursum tenere non potuisse atque eodem, unde erant profectae, revertisse. cf. VIII 47, 1 *Ibi cognoscit* . . . I 25, 3 multi ut diu *iactato bracchio* praeoptarent *scutum manu emittere* et nudo corpore pugnare. V 31, 6 Prima luce sic ex castris proficiscuntur, ut *quibus esset persuasum* non ab hoste, sed ab homine amicissimo [. . .] consilium *datum*, . . ."

De verbi collocationibus ad artificiosae orationis praecepta accommodatis. § 57—§ 59.

§ 57. Per totam hanc commentationem non ita singulos locos interpretandos mihi proposueram, quam varias et diversas rationes collocationis probandas. Quam ob rem mentionem faciam oportet rationum, quae in aliis Romanorum scriptis multum sine dubio valuerunt, in Caesaris scriptis minus sentiuntur; artificiosioris scil. orationis propriae et a rhetoribus maxime cultae sunt. Quamquam enim rhetorum artificia Caesar in commentariis scribendis neglexit, tamen plane remittere et secludere non potuit, cum in ipsa lingua iam inveterassent.

Incipiamus a rationibus, quae certius apud Caesarem observantur. Vix ullam de verborum collocatione invenies commentationem, quae non euphoniam quandam ut summam collocationis rationem afferat; cf. in primis M. J. Wocher, Die lat. Wortstellung nach log. u. phonet. Grundsätzen, Progr., Ehingen a. d. Donau 1849, et Fiedler, Über Eleganz, Wortstellung und Aussprache im Lateinischen, Halle u. Berl. 1819. Sed cum huiusmodi res sentiantur magis quam intellegantur, difficillime de his rebus iudicatur. Apud Livium Kühnast p. 314. complures locos repperit, qui verborum ordinem propter difficiliores litterarum concursus mutatum exhibent. Eadem de causa Caesar fortasse inusitatius verba collocavit his locis: I 31, 3 „Locutus est pro his Diviciacus Haeduus:

II 31, 4 Sibi omnes fere finitimos esse inimicos . . . III 13, 8 tanta in iis erat firmitudo, V 40, 4 reliquis deinceps fit *) diebus. VI 13, 9 si quis ex reliquis *excellit* dignitate *succedit* . . . VIII 48, 3 ne sua vulnera per fidem *imposita* paterentur **) *impunita*, VIII 2, 1 quam non longe *a finibus* Haeduorum conlocaverat *in finibus* Biturigum, VIII 48, 5 Commius incensum calcaribus equum coniungit equo Quadrati . . . A 15, 3 *Videris* mihi, inquit, Caesar, *vereri*, . . . A, 20, 2 ac *multum* proficere *multitudine* telorum videbantur." Sed horum locorum maiorem partem etiam aliis paragraphis adnumeravi; neque minime dubito, quin facile aliae leges praeter hanc euphoniam isdem locis valuerint, praesertim cum Caesaris commentarii sermonem magis quam orationem praebeant. Atque satis multi loci inveniuntur, qui huic euphoniae legi non parent; velut: I 22, 5 „milia passuum tria ab eorum *castris castra* ponit. I 38, 4 ut *circino circumductum* . . ." cf. etiam, quae collegit P. Hellwig, Üb. d. Pleonasmus b. Caesar, Progr. Berl. 1889, p. 5 sq.

§ 58. Supra — p. 6. adn. 3. — obiter Naegelsbachii rationem commemoravimus et refutavimus, qui anaphoram et chiasmum ut summam collocationis rationem adhibuit. Sed N. quam latissime anaphoram et chiasmum interpretatus erat. Rectius hanc collocationis rationem adhibebimus, si ad rhetorum figuram et interpretationem redierimus, et illam tantum collocationis formam huc rettulerimus, quae proprie vocatur anaphora et interdum in Caesaris commentariis adhibita est. Caesarem enim his locis non fortuitam quandam linguae Latinae formam, sed ipsam rhetorum figuram adhibuisse verisimillimum est.[73]) Ipsa igitur figura per se huius collocationis summa ratio et causa est: I 40, 5 „*factum* eius hostis iam periculum patrum nostrorum memoria . . . *factum* etiam nuper in Italia servili tumultu . . . VI 21, 4 hoc *ali* staturam, *ali* * vires nervosque confirmari putant. VII 32, 5 Civitatem esse omnem in armis; *divisum* senatum, *divisum* populum, . . . 1, 51, 2 *Erant* praeterea cuiusque generis hominum milia . . . *Erant* complures honesti adulescentes . . . *erant* legationes civitatum; *erant* legati Cae-

*) fit deinceps β.
**) inulta paterentur S β.
[73]) Krollii hoc loco sententiam sequor, quam docuit in scholis de syntaxi Latina habitis.
* codd. praebent omnes „alii" et stirpis β codd. praeterea hanc collocationem: „alii hoc staturam alii hoc . . ."

saris. 1, 84, 4 nunc vero paene ut feras circumretitos *prohiberi* aqua, *prohiberi* ingressu, neque . . ."

§ 59. Deinceps ad aliam rem accedamus, quae multo difficilius diiudicatur, ad illos scil. locos, qui clausulis deberi videntur. Norden l. a. p. 939. observavit in Caesaris commentariis interdum sententias rhythmice cadere, quamquam nullam Caesarem operam huic rei navasse constet. Neglegi scil., non plane removeri hae res poterant. Homines enim antiqui, qui usu magis quam doctrina hanc rem didicerant, in adhibendo vix ipsi sibi conscii erant. Cum igitur Wolff — Jahrb. f. cl. Phil. Suppl. XXVI, p. 672 sqq. — complura collocationum genera distinxerit, quae Cicero clausularum gratia adhibuit, intricatum quidem neque tamen absurdum mihi videtur etiam in Caesaris commentariis huiusmodi collocationes quaerere, quas fortuito admisit Caesar, non consulto scripsit. Sed ex his, quae exposui, satis cognosci potest ipsam rationem verisimilem, exempla autem haud ita certa ese, praesertim cum illa collocationis genera, quae clausulis debentur, nondum satis certe explorata sint. Qua de causa ad rationem tantum demonstrandam locos nonnullos allaturus sum, atque hos unius sollemnis formae, quae minime dubia videtur esse ex illis, quas Wolff apud Ciceronem repperit, cf. p. 673: V 25, 2 „quod in omnibus bellis singulari eius opera *fuerat usus,* VII 4, 1 et ob eam causam . . . a civitate erat *interfectus,* VIII 46, 1 in eam partem Galliae *est profectus,* 3, 63, 4 munitione *erat complexus,* 3, 101, 4 oppidum *est defensum;* 3 112, 8 initio *erat inductus,* A 43, 2 dimi*care sit coactus.*" Neque tamen reticere possum eosdem locos facile huic insequenti paragrapho inseri potuisse, praesertim cum eandem exhibeant formam et illi loci, quos infra allaturi sumus, longe plures inveniantur.

Sed priusquam eo transeamus, breviter oportet commemoremus alteram collocationem, quae item cum clausularum usu cohaeret. Constat in artificiosa prosa oratione veteres scriptores religiose illam legem observasse, qua monosyllaba extremum sententiae locum obtinere non possunt. — Cf. de lingua Graeca C. Josephy, der orator. Numerus bei Isocrates u. Demosthenes . . . Zürich 1887, p. 74; de lingua Latina Th. Zielinski, Philol. Suppl. IX, p. 616. et p. 656. sq., idem facile et Wolffii tabellis intellegitur, quos addidit p. 599 sqq. — Sed apud Caesarem, quippe qui clausulas neglexerit, haec lex valuisse vix videtur. Ipse ex belli Gallici commentariis 34 locos exscripsi, qui monosyllaba in fine enuntiati ex-

hibent; cf.: VI 7, 5 „. . . cotidie *spes.* V 48, 2 . . . res *sit.* V 1, 9 arbitros inter civitates *dat.*" In horum locorum numero maxime respiciendum est haud ita multa in lingua Latina monosyllaba exstare; praeterea non numerandi erant illi loci, qui supremam vocem cum antecedenti voce artius exhibent coniunctam; velut tempora composita quae vocantur et huiusmodi formulae: „in matrimonium dat (I 3, 5), signum dat" (III 19, 2); uno enim sono hae voces comprehenduntur, cf. Lindsay-Nohl p. 194. Quae cum ita sint, perpaucis illis locis, qui monosyllaba, — de „fit" verbo fere agitur, — in medio enuntiato exhibent neque ullam probabilem praebent causam collocationis, de monosyllaborum apud rhetores collocatione cogitare non possum; nimis scil. incerta haec res esset.

De verbis in paenultimo sententiae loco collocatis. § 60—§ 63.

§ 60. Usque ad finem totius commentationis reservavi collocationum genus, quod per se quidem minime neglegendum est, cum saepissime inveniatur, nihilominus autem mihi huc remittendum videbatur, quod explicationem habet difficillimam et admodum ambiguam. Persaepe verba paenultimo enuntiati loco inveniuntur. Primus hanc collocationem intendit Raspe in verbo auxiliari, cui maxime propria est. Hic vir doctus p. 33. scripsit verbum auxiliare cum participio coniunctum hanc usitatam collocationem praebere, ut verbum auxiliare participium antecederet; ac re vera persaepe haec collocatio invenitur. Causam Raspe secundum Goerenzii sonorum rationem reperiri opinabatur, qui primum et supremum et quartum sententiae vocabulum in lingua Latina intentiora esse putabat. Sed hac ratione adductus Raspe falso existimabat et hanc collocationem usitatam et legitimam esse et inversum ordinem illis tantum locis adhiberi, qui verbum auxiliare eximie intentum exhibeant.[74]) Quae res comprobari vix possunt. Usitata et principalis verbi auxiliaris collocatio in fine enuntiati erat,[75])

---

[74]) Ne ipsius quidem exemplis hoc probatur; unum exempli causa affero: Cic. or. 177. „notandum certe genus atque ipsi sibi imitandi fuerunt" ad hunc locum R. adnotavit: d. h. „m u ß t e n sie ihre eignen Nachahmer werden" (p. 33).

[75]) Deceptus esse mihi videtur Raspe eo, quod persaepe in enclitica verbi auxiliaris collocatione verbum ante participium invenitur positum; cf. de hac re etiam, quae obiter adnotavit H. Blase, W. f. Kl. Ph. 1912, XXIX, p. 42.

quae in Caesaris commentariis numero longe superat; in primo de bello Gallico libro huius collocationis in solo perfecto passivo unum et quinquaginta numeravi locos, exceptis scil. nonnullis, qui aliam habent causam. Sed ipsi collocationis rationem perquiramus. Duae potissimum mihi respiciendae videntur collocationis causae: Julius Wolff p. 673. hanc verbi collocationem a Cicerone saepissime ad clausulas efficiendas adhibitam esse docuit. Facile igitur aliquis putet hanc verbi auxiliaris collocationem omnino inde ortam esse. Sed ex 71 locis, qui huc referendi sunt, 11 tantum hoc modo explicari possunt. Plures usitata collocatione eandem vel aequalem clausulam efficiunt; velut 3, 101, 3 „essent allati, II 32, 4 pace sunt usi." Unde optime intellegitur clausulas ad hoc collocationis genus explicandum adhiberi non posse. Altera via, quam Raspe ingressus est, multo rectior esse videtur. Supra — § 36. p. 70, adn. 42 — concessimus extrema enuntiata in lingua Latina gravius fortasse pronuntiata esse, quod nostris diebus in lingua Francogallica facile observatur. Res ipsa admodum nota est. Hac autem consuetudine E. Richter in lingua Francogallica verborum collocationem ita mutatam esse scripsit p. 101 adn. 1, ut verbum levius ex extremo loco interdum praemitteretur. Num igitur nimis audacter conicimus, si eodem modo hanc linguae Latinae collocationem explicamus?

Non scil. in singulari quodam vocabulorum sono haec collocatio posita est; sed ipsa vocabulorum genera sono differunt, quod iam dudum a viris doctis repertum est; cf. de nostra Germanorum lingua W. Reichel p. 106. et confer etiam Delbrück V. S. III, p. 66, qui item atque in aliis Indogermanorum linguis verbum etiam in lingua Latina levius fere vocabulorum genus fuisse recte arbitratus est. Ineptum igitur facile in intentiore extrema sententia levius vocabulorum genus sentiebatur ideoque verba in paenultimum locum praemissa sunt. Haec explicatio ex coniectura fere pendet, concedo.

Sed nonnulla exstant, quibus nostra interpretatio iuvatur. In primis haec explanatio, quae levitate verbi contineatur, maxime probatur hac re: levissimum quodque verborum genus maximum horum locorum numerum praebet; verbum auxiliare scil. et verba, quae infinitivus sequitur; (de levitate horum verborum cf. § 3 b). Accedit, quod haec collocationis lex, qua leviores voces facile ab extremo sententiae loco abstrahuntur, probari videtur etiam Schmalzii sententia, cui § 35. assensi sumus; qui vir doctus levi-

ora pronomina in sententiarum finibus collocata languidam efficere orationem scripsit, quae in Ciceronis scriptis vix inveniretur.

Sed de ratione satis disputatum est; deinceps exempli causa complures locos enumeremus. Ac primum velim tempora composita quae vocantur respiciamus, cum longe maiorem locorum efficiant partem: I 17, 4 „quin . . . una cum reliqua Gallia Haeduis libertatem *sint* erepturi. III 18, 6 inopia cibariorum, cui rei parum diligenter ab iis *erat* provisum, . . . V 25, 5 locumque hibernis *esse* munitum. V 29, 2 neque aliter Carnutes interficiundi Tasgetii consilium *fuisse* capturos . . . V 52, 3 quanta virtute res *sint* administratae. VII 68, 2 quantum diei tempus *est* passum, VII 88, 6 nisi . . . totius diei labore milites *essent* defessi, . . . VIII 4, 3 cum dies non amplius XVIII in hibernis *esset* moratus, VIII 8, 3 quae ad se *essent* delatae, 1, 26, 4 si illo auctore atque agente ab armis *sit* discessum. 1, 64, 1 quae Caesaris castris *erant* coniuncta, 1, 74, 2 rectene se illi sint commissuri, 2, 10, 1 Ubi et ea turri quae circum essent opera tueri se posse *sunt* confisi, 3, 17, 3 sic belli rationem esse divisam, . . ." Omnino huiusmodi 71 inveniuntur loci, ex quibus 8 in Hirtii, 13 in anonymi commentario exstant.

Huc praeterea referendi sunt 10 loci, qui verbum auxiliare ante gerundivum vel gerundium praebent collocatum paenultimo enuntiati loco; nonnullos locos exempli causa huc affero: II 31, 4 . . . si forte . . . statuisset Atuatucos *esse* conservandos, IV 16, 1 statuit sibi Rhenum *esse* transeundum; 1, 29, 2 . . . et a freto naves *essent* exspectandae."

Breviter commemorandi sunt nobis singulares quidam loci, qui ex parte huc pertinent, cum praeter huius paragraphi rationem aliam, analogiam scil., expressam habeant. Veluti hoc loco verbum auxiliare ea quam modo tractavimus ratione ante participium praemissum est, sed tamen verbum finitum usitatum in fine sententiae locum obtinuit: VIII 31, 1 „civitates, quarum . . . . copias *esse* accisas sciebat. cf. etiam VII 64, 2 *fore* contentum dicit, II 25, 1 *esse* impedimento vidit."

§ 61. Maxime mirandum esset, si haec collocatio in participiis tantum inveniretur; causa enim, in qua posita est, in aliis etiam permultis exemplis valet. Ac re vera ad viginti loci inveniuntur, qui eandem exhibent collocationis rationem; paucos exempli causa affero: I 53, 7 „sortium beneficio se *esse* incolumem. V 13, 3 dies continuos XXX sub brumam *esse* noctem. VII 7, 4 quae loca

hostibus *erant* finitima, VIII 3, 1 quod imparatis disiectisque accidere *fuit* necesse, 2, 35, 5 quae ad oppugnationem castrorum *erant* usui. 3, 99, 2 Neque id *fuit* falsum, . . ."

§ 62. Omnium collocationum, quae in levitate verborum posita sunt, maiorem quidem numerum adhuc semper in verbo auxiliari repperimus; nihilominus autem etiam in reliquis verbis ipsum collocationis genus satis dilucide expressum erat. Idem in hac collatione observari supra argumentando obiter commemoravimus. Ac primum velim illorum verborum exempla consideremus, ex quibus infinitivus pendet. Haec verba, cum in fine sententiae post infinitivum suum collocari soleant, his qui sequuntur locis ante infinitivum praemittuntur secundum eandem legem, quam superiore paragrapho ineunte explicavimus. Infinitivus nimirum, ut nomen verbale, maiorem fere quam verbum finitum intentionem habet; cf. § 3 b.[76]) Sed ipsos locos iam respiciamus: I 7, 2 „pontem, qui erat ad Genavam, *iubet* rescindi. III 2, 4 ne primum quidem impetum suum *posse* *) sustineri existimabant.[77]) IV 18, 1 Diebus X, quibus materia *coepta erat* comportari, IV 21, 4 Huc naves undique . . . et . . . classem *iubet* convenire. VI 10, 2 ad iniquam pugnandi condicionem *posse* deduci; VII 81, 2 reliquaque, quae ad oppugnationem pertinent, *parant* administrare. VIII 15, 2 castrisque eo loco metatis muniri *iubet* castra. VIII 48, 3[78]) ne sua vulnera per fidem imposita *paterentur* **) impunita. 1, 78, 1 . . . ab Ilerda frumentum *iussi erant* efferre, 1, 83, 4 munitiones institutas Caesar *parat* perficere; 1, 85, 5 exercitus, quos contra se multos iam annos aluerint, *velle* dimitti. 3, 63, 3 ut, si ancipiti proelio dimicaretur, *posset* resisti. A 49, 1 aes alienum gravissimis oneribus provinciae *constituit* exsolvere; A 55, 1 eos, qui nominati erant conscii caedis, *iubet* comprehendi; A 56, 3 . . . acceptasque eas *iubet* referri . . ."

§ 63. Eadem collocatio in reliquis invenitur verbis. Ac nota-

---

[76]) Neque ab nostra Germanorum lingua haec res aliena esse videtur; cf. W. Reichel p. 107. conf. etiam quae Behagel p. 102 attulit exempla: „ich will (2) kommen (1); ich wünsche (2) zu hören (1)."

*) ne primum quidem posse impetum suum *α*.

[77]) conf. quae superiore paragrapho exeunte de singularibus his locis exposita sunt.

[78]) cf. de hoc loco etiam § 57.

**) inulta paterentur S *β*.

bile mihi videtur esse, quod ipsa verba, quae hoc modo in paenultimum enuntiati locum praemittuntur, per se iam satis contrita et usitata sunt. Accedit, quod haec collocatio saepius in certis loquendi formulis invenitur. Hinc fortasse intellegitur, cur in temporibus compositis quae vocantur longe saepius haec collocatio inveniatur quam in aliis verbi auxiliaris locis: in formulis scil., quae per se iam cohaereant, facilius ordo usitatus invertitur. Sed primum exempla contemplemur, quae huiusmodi formulas non exhibent: III 8, 1 „omnes fere, qui eo mari uti consuerunt, *habent* vectigales. VIII 6, 2 ut omni multitudine in fines Suessionum, qui Remis erant attributi, *facerent* impressionem, VIII 54, 4 Ipse exercitui *distribuit* hiberna: 3, 80, 5 . . . civitatibus huius urbis exemplo *inferri* terrorem." Deinceps reliquos locos perlustremus: V 49, 4 „Caesar ... suos *facit* certiores ... VII 87, 5 Caesarem per nuntios *facit* *) certiorem, VII 24, 4 aut cui rei *ferretur* auxilium, A 11, 2 Cui coactus est Caesar *ferre* subsidium, VIII 22, 1 Bellovacos ceterasque Galliae civitates *suscepisse* bellum; 2, 26, 4 Equitesque *committunt* proelium . . . 3, 93, 4 quartae aciei . . . cohortibus *dedit* signum. A 51, 3 certis hominibus *dat* negotium, A 57, 6 Cassius his rebus incensus *movet* castra et . . ."

In ipso commentationis fine unum mihi videtur monendum esse. Qui hunc tantum paragraphorum et rationum numerum percurrerit, facile putet me omnem materiam aut voluisse exhaurire aut arbitrari exhausisse. Qua de re ipse minime cogitabam. Ipsa inductionis quam vocamus ratio cum omnino tum maxime in hac re longius ac latius ducit, quam ut una commentatione omnia exsequi possis. Accedit, quod haec ipsa materia penitus exhauriri omnino non potest.

---

*) certiorem facit π.

Conspectus.

Errata:

p. 38 versu 18 corrigas velim „eundem locum".
p. 45 „ 35 „ „ „Scipionem . . . magna".
p. 64 „ 10 „ „ „adnotationibus demonstravimus".

Vita.

Natus sum Nicolaus Schneider in vico Trevirensi, cui nomen est Kuerenz, a. d. XI. Kal. Sextil. a. 1887. patre Joanne, matre Elisabeth e gente Hettgen. Fidei addictus sum catholicae.

Gymnasium Trevirense, Fredericium Guilelmium, per novem annos frequentavi. Vere a. 1907. maturitatis testimonium adeptus almam matrem adii Monacensem, ut studiis philologicis et historicis operam navarem. Anno peracto Monasterium me contuli.

Docuerunt me viri docti Monacenses: Crusius, Drerup, Hellmann, Jansen, Kuhn, Lipps, Otto, Rehm, Simonsfeld, Weymann; Monasterienses: Cauer, Erler, Geyser, Hoffmann, Koepp, Kroll, Muenscher, Radermacher (nunc Vindobonensis), Seeck, Sonnenburg, Spannagel, Spicker, Streitberg (nunc Monacensis).

Seminarii philologici Monasteriensis per duo semestria sodalis fui. Praeterea ad exercitationes philologicas me admisit Cauer, ad grammaticas Hoffmann, ad historicas Erler, Seeck, Spannagel.

Praeceptoribus meis, in primis Krollio, Muenschero, Sonnenburgio, gratias ago; maximam gratiam habeo Guilelmo Kroll, qui in hac commentatione perficienda opera atque cosilio me maxime adiuvit.

DE VERBI IN LINGUA LATINA COLLOCATIONE.

ADHIBITI SUNT IN QUAESTIONEM PRAETER CAESARIS DE BELLO GALLICO ET DE BELLO CIVILI COMMENTARIOS A. HIRTII DE BELLO GALLICO ET ANONYMI DE BELLO ALEXANDRINO COMMENTARIUS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM PHYSICORUMQUE ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE GUILELMIA GUESTFALIA MONASTERIENSI

SCRIPSIT

NICOLAUS SCHNEIDER
TREVIR.

MONASTERII GUESTFALORUM 1912.
EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGR. GUESTFALORUM.